entire

OBSERVATIONES LUCRETIANAE

ET CRITICAE ET EXEGETICAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE II. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLIV.

PUBLICE DEFENDET

Peter

P. EDUARDUS GOEBEL

ATTENDORIENSIS GUESTPHALUS.

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:

ANTONIUS GOEBEL, PHIL. DR., GYMN. MARCODUR. PRAEC. SUP. ORD.
FRIDERICUS CONRADS, PHIL. DR.
FRANCISCUS BUECHELER, SEM. PHIL. SOC. ORD.

BONNAE

FORMIS I. F. CARTHAUS.

1854.

Ἕκαστος δὲ κρίνει καλῶς ἃ γινώσκει
καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής.
Aristot. Eth. Nic. I, 3.

IOSEPHO. PATRVO

ET

LAVRENTIO. AVVNCVLO

D V V M V I R I S

BENEVOLENTISSIMIS. CARISSIMIS. DILECTISSIMIS

EXIGVVM. HOC

PIETATIS. ET. AMORIS. SIGNVM

EXSTARE VOLO.

In recensendo Lucretio quantum ante hos quattuor annos Lachmannus praestiterit, non est quod pluribus dicam. Fundamentum ille iecit firmissimum, quo nitatur necesse est quicumque in opere sui generis praestantissimo Lucretiano versari voluerit. Attamen quamvis multa, quae misere antea iacerent, et artis et scientiae auxiliis egregie instructus pristino nitori vel reddiderit, vel verisimiliter saltem e tanta labe restituerit, non pauca certe etiam post illum Bernaysius in recognitione sua melius constituit, alia denique Bergkius et Purmannus monuerunt in Iahnii Annal. vol. LXVII. Horum igitur sententias si quis examinaverit, sive ipse praeclaram Lachmanni operam accuratius perscrutatus erit, persuadebit sibi, alia praeter necessitatem cupidiore arte ab eo temptata, alia iusta medicina non sanata, alia denique ad emendandum aliis etiam relicta esse. Quare Lucretii carmina pertractaturus ubi a Lachmanno discere et edoceri volebam, factum est, ut hic illic a duce meo dissentire inciperem et, quantum valebam, ipse aliam viam mihi explorare conarer. Nec defuit, ubi meam opinionem suo indicio Bernaysius mihi confirmaret, viarum regionumque illarum satis peritus. Ita meis viribus confidere magis didici ac permultis locis, labore aliquoties pertractato, ne illum quidem aut Bergkium Purmannumve socium nactus sum. Ille paullo proclivior hic illic in Lachmanni sententias abiit, vel ubi certissimis argumentis eum errasse demonstari potest, hi autem non totum illorum laborem excutere ac penitus recognoscere voluerunt, sed singula quaedam nunc optime nunc parum feliciter temptaverunt me iudice.

Nec sane mirum est, permultis locis videri etiamnunc ab

integritate abesse Lucretium, quandoquidem ex uno fonte nec integerrimo et ad legendum iam difficili omnes Lucretiani libri fluxerunt, ita ut ipsi Lugdunenses a lacunis, interpolationibus, transpositionibus „ceterisque omnibus quaecumque libros msptos inquinare possunt vitiis“ liberi non ferantur. Inde evenit, ut ars et demonstratio aut criticorum artificia saepe locum non habeant, sed tota ad divinationem res redierit*). Equidem igitur de quibus a Lachmanno, Bernaysio, ceteris, qui ut spicas legerent secuti sunt, dissentire non sine iusta causa mihi visus sum, ita quattuor capitibus proferam, ut deinceps de lacunis, pravis iterationibus, totis versibus aut spuriis aut transpositis qui videantur, denique de singulorum vocabulorum corruptelis dicam.

*) Ipsius Lachmanni verba sunt ad V 311. coll. 515. 880 etc.

Cap. I.

De lacunis.

Quod primum recte sensit Faber, Madvigius clare ostendit, Lachmannus confirmavit, versuum aliquot lacunam esse inter hos libri I versus 1012—14:

> aut etiam alterutrum nisi terminet alterum eorum
> simplice natura pateat tamen inmoderatum
> nec mare nec tellus etc.

nemo iam in dubium vocabit; de eo autem dubitari potest, num rectius rem egerit Madvigius, qui post v. 1013, an Lachmannus, qui post 1012, quae desunt, intercidisse putavit. Equidem cur cum illo faciam, ut melius perspiciatur, ante paucis adumbrabo quid poetae disputatione agatur, praesertim cum neque Creechius rem perspexerit, nec alius interpres totius argumenti tenorem accuratius explanaverit. „*Omne, τὸ πᾶν*, infinitum esse cum agi dicat Madvigius in opusc. I. p. 312, iisdem argumentis parum subtiliter, quasi diversa sint, in aliam atque aliam formam conversis," bene distinguenda esse non vidit et *corporum summam* et *omne quod est spatium* (969. 984) et illud denique, quod ex utroque constat, *omne quod est, τὸ πᾶν* (958. 967. 975). Duo enim Lucretius quaerit (v. 951 seq.), primum *corporum summa* finita sit necne, deinde *omne quod est spatium* finitumne constet an immensum pateat. Iam vero inde orditur, ut ostendat *Omne quod est, τὸ πᾶν*, quoniam extra quod finiat nihil sit (958—68), exempto fine patere, atque adeo infinitum quin relinquatur fieri non posse, etsi quis finitum iam sumat *omne quod est spatium*. Nam huius ad oras

ultimas si procurrat telumque mittat, aut prohiberi hoc missum aut non prohiberi, ita ut aut corpus aut ipsum spatium ultra patere confitendum sit (968—83). Tum demum demonstrare aggreditur, quod ei propositum est, infinitum constare necesse esse per se utrumque et *inane* et *corpus omne*, nec solam rerum universitatem. Atque horum alterum, *spatium summai totius omne* esse infinitum, tractare incipit a v. 984 et in vv. 1002—7 hoc iam efficit: *est igitur natura loci spatiumque profundi, quod neque* etc., quibus de *infinito spatio* agi nemo est quin videat.

Sed unusquisque facile mihi concedet, huic argumento appositos non esse versus 998—1001, quos manifestum est pertinere ad ea quae post v. 1007 secuntur, ita ut hinc alteram quaestionem aggrediatur, utrum *corporum summa* per se item infinita constet, an forte finita sit [1]). Traiectis igitur versibus 998—1001 post eum qui est 1007, hanc alteram quaestionem solvere hoc modo incipit: „Ante oculos res rem finit, *Omne* autem i. e. *τὸ πᾶν*, quod *extra* finiat, nihil est (998—1001), *ipsa* porro (1008 seq.) modum sibi parare rerum summa ne possit, natura prohibet, quae corpus inani et inane corpore finiri cogit, ut sic alternis . . . . . .“ Nunc autem apparet, a vera ratione abesse Lachmanni sententiam, qui tria membra distinguenda fuisse dicit, si hic Lucretius disiunctione usus sit, hoc modo, ut aut utrumque infinitum statuat, aut neutrum aut alterutrum. Etenim nulla regione finitum consistere posse *τὸ πᾶν*, supra (958—83) satis demonstratum erat, et breviter id ipsum nunc repetit v. 1001, quem versui 1008 proxime praemittendum esse dixi. Itaque ex his duobus 1) rerum universitas infinita est, 2) eadem constat ex inani et corpore alternis sese finientibus, sana mens concludat necesse est, aut alternis et corpus et inane simul in infinitum extendi, aut, alterutrum si alterum denique terminet et undique circumcludat, simplice

1) Atque per se iam valde est verisimile, a *postremo* voce (998) novum tractari incipi argumentum.

natura saltem patere immensitatem. Verissimum igitur est, quod Madvigius sensit, vv. 1012 et 1013 nullo modo divelli posse, a cuius tamen sententia ea in re recedendum mihi videtur, quod haec coniungo sic emendata:

1011. ut sic alternis infinita omnia reddat,
aut etiam, alterutrum *si* terminet alterum eorum,
simplice natura pateat tamen inmoderatum.

Quae quomodo interpretanda essent, supra explicavi [2]). Tum demum perierunt, quae his Epicuri verbis argumentationis continuitati reddere licet: (ἀλλ') *εἴτε τὸ κένον ἦν ὡρισμένον, οὐκ ἂν εἶχε τὰ ἄπειρα σώματα ὅπου ἐνέστη· εἴτε ἦν τὸ κένον ἄπειρον, τὰ δε σώματα ὡρισμένα,*

1014. nec mare nec tellus neque caeli lucida templa etc.

Hoc ita esse neque vero v. 1013 coire cum 1014 vel e grammatica temporum ratione confirmare possumus. Nam quibus verbis Lachmannus lacunam explere conatus est, ea nunquam a Lucretio ita proficisci poterant, propterea quod, quotiescumque in huiusmodi hypotheticis enuntiatis in protasi *coniunctivo praesentis* utitur, in apodosi aut iterum *coniunctivum praes.* aut *futurum indicativi* adscivit, cf. I, 570, 655, 1071. II, 481, 920. III, 657 etc. [3])

---

2) Similiter atque hic *inmoderatum* nomen absolute positum est invenitur *inmensum* II 93.

3) Unum quod inveni contrarii usus exemplum I 356—7 non hac sola de causa vitiosum est. Lachmannus illos versus sic exhibet:

Quod nisi inania sint, qua possent corpora quaeque
transire haud ulla fieri ratione videres.

Quadratus codex et schedae praebent *haud ulla valerent ratione*, Oblongus in litura *fieri ratione*, quod Lachmannus recepit. Sed Lucretio conveniebat sive *fieri videres ut corpora possent transire*, sive *fieri viam videres qua* etc. dicere. Neque vero *qua* vocabulum referri licet ad *inania*, ut sit *per quae*; nam sententia haec sit necesse est, „nisi esset inane, corpora transitum non invenirent". Praeterea tum saltem *possint* grammaticae debebatur. Inconsiderate igitur Bergkius (l. l. p. 321. *facere id ratione valerent* coniecit. Hoc tamen verum vidit, in *fieri* verbo mendum inesse. Vix quidquam Bernaysius profe-

Subducto autem calculo (cf. Lachm. p. 72) quoniam schedae archetypi XXI paginam adversam incepisse reperiemus a v. 992, continebantur ea praeter vv. 992—1013 alii quattuor, quos ipsos equidem, cum haec inferior paginae pars detrita forte et madore corrupta esset, intercidisse conicio. Itaque, non tamen Lucretii artem aemulaturus sed orationem interrumpi aegre ferens, defectum sic supplere conabor:

[At spatium inclusum certis si iam foret oris,
tum vero nulla fieri ratione fatendumst,
infinita geri queat ut vis materiai;
quoi si finitae spatium sine fine pateret,]
1014. nec mare nec tellus etc.

In pagina deinde postica eiusdem schedae fuerunt vv. 1014—39, in schedae XXII priore 1040—64 et titulus unus, posteriore vv. 1065—90, in adversa XXIII versus 1091—1116, aversa denique versus poetae unus relicuus, quem subscriptio et vacuum spatium (ad recipiendos libri II titulos) excipiebant.

Quae res si ut dixi ita se habet, ii versus octoni, qui v. 1067 et 1093 insecuti sunt, *eiusdem schedae non fuerunt*, quod tamen ut Lachmanno credamus sicut relicua quae eximio suo acumine de hac altera libri I lacuna statuit nihil nos cogit. Poterat optime schedae XXIII paginae rectae pars illa malo casu aliquo ita sordibus obduci, ut VIII versus prorsus oblitterarentur simulque superioris paginae pars aequalis communi malo afficeretur. Ad quam rationem facillime omnia conveniunt, neque illud non facit, quod Oblongi cod. librarius, qui religiosa diligentia priorum versuum VIII amplius dimidias quasque partes servavit, horum nihil praeter spatium nobis

---

cit scribendo *qua corpora quaeque valerent*, nam ut dixi temporum ratio violari non debebit. Itaque hos versus sic puto emendari posse:

Quod nisi inania sint, qua *possint* corpora quaeque
transire haud ulla *poterit* ratione *videri*,

vel hoc modo:

— haud ulla *via erit* ratione *parata*.

Haec emendatio olim Ritschelio prof. ampliss. non improbabilis visa est.

reliquit. Sin Lachmanni rationem sequimur, schedae partem *rescissam* fuisse, non solum illud mirum est, sed etiam (quod inde ex ea ratione statuendnm erat) cur in medio carmine una aliqua pagina nihil inscriptum habuerit, non intellegitur.

Ceterum videbimus, num gravem hanc quoque iacturam aliquo modo reparare possimus. Si igitur paucis quod a v. 1052 tractat argumentum comprehendimus, hoc fere dixit poeta: „ne credas, finitam hac forte de causa *materiai summam* consistere posse *infinito in spatio*, quod in medium omnia nitantur. Primum enim infiniti spatii quomodo medium cogitari potest? Deinde illi idem quoniam concedunt, non omnia in medium niti, sed calidos ignes et aëris auras a medio differri . . . . . .“ Nunc quid desideretur in aperto est; nam et ratio ipsa et ea quae infra leguntur nos edocere poterunt, in hanc fere sententiam quae interciderunt concepta fuisse: „hac ratione cum perpetuo corpora quaedam de summa decedant, nulla vero suppeditentur, mox necessario deesse incipiet et dissolvetur omnis materiae copia, neque quidquam impedire poterit, *ne volucri ritu flammarum moenia mundi Diffugiant* etc.

Itaque poetae mentem haud scio an his versibus assecutus sim:

1093. — nisi a terris paulatim cuique cibatum
[adferret surgens calor ignis tempore verno,
per truncos ac per ramos qui diditur omnis:
diffugere hac ipsa debet ratione viaque
haud longinquo aevo vis omnis materiai,
perpetuo quoniam, nimirum, corpora quaedam
decedunt summae, magnum per inane soluta,
et nequeunt tamen ex ulla parti reparari.
Nil igitur fateare necessest officere usquam,]
1102. ne volueri ritu flammarum etc.

Haec habui de maioribus libri I lacunis quae disputarem. In secundo similem exstare ante vv. 165 et 166 primum suspicatus est Madvigius in opusc. acad. I p. 316. A quo cum in hac re Lachmannus non recederet, Bernaysius locum sanasse

sibi visus est transferendo illos versus leniter mutatos sic quidem:

> 167. At quidam contra haec, ignari materiai
> 165. nec persectati primordia singula quaeque,
> ut videant qua quicque geratur cum ratione,
> 168. naturam non posse etc.

Sed transpositionem hanc primo aspectu speciosam probare non possum, non quasi dicendum fuisse *persectati ut viderent* Purmanno concedendum sit (nam *ut* particula pro consecutiva haberi licet), sed propterea quod neminem puto, ne ipsum quidem Epicurum, *primordia singula quaeque persectari* posse sive potuisse. Itaque aut de diis illi versus dicti fuerint, uti Madvigio videtur, aut merito Marullus ipsa primordia singula quaeque a poeta negari iudicavit persectari, ut videant qua ratione quidque geratur, cum caeco potius impetu turbarent. Quam eandem sententiam, quidquid Madvigius contra declamavit p. 317[4]), poeta expressit libri I vv. 1022 seq. (= V 419 seq.):

> Nam certe neque consilio primordia rerum
> ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt,
> nec quos quaeque darent motus pepigere profecto;
> sed quia multa etc.

Verum tamen est, quod idem ille monet, haec non pro causa potuisse afferri, cur celerius irent atomi quam solis radii, quippe qui ne ipsi quidem consilio tardarentur. Celeritate enim tantopere antecellunt primordia ideo, quod per *inane vacuum* atque *singillatim priva* meant nec complexa officiuntur; quae luminibus contra fiunt. Sed etiamtum cogitare aliquis poterat, fortasse consulto ea tardari, ipsa ut videant qua quidque ratione gerant. Hoc igitur poeta ne quis

---

4) Haec sunt ipsius verba: „quae est tandem haec insania, ideo atomos celerius ferri dicere, quod id non faciant, quod non magis aut solis lumina aut ulla alia res facit, et quod id non agant, quod vix ridendi causa cuiquam, aut Epicuro aut alii, in mentem venire possit, ut atomis tribuat curam videndi quid mundo fiat?“

crederet iam praecavit illis verbis: *ipsa suis ex partibus unum, unum in quem tendere locum Conixa feruntur.* Quam eandem sententiam si Marullus, ut videtur, versibus 165—6 refutari censebat, cur tam absurde atque inepte iudicaverit, non assequor. Imo mihi quoque illi versus aptissime superioribus apponi videntur uno tantum interposito, quem ad exemplum I 1022 (= V 419) sic relingo:

[nam certe neque consilio possunt remorari,]
nec persectari primordia singula quaeque,
ut videant, qua etc.

Itaque hanc lacunam uno versiculo apte expleri potuisse persuasum habeo. Maiorem vero et quae facili negotio eximi nequeat labem traxit liber hic circa versus 522—32, ubi tanta est et sententiarum et verborum turba, ut omne auxilium a divinatione petendum sit. Sed ratio, si quid video, declinari iubet viam a Lachmanno monstratam, et quam ipse tenuit, et quam Bernaysius maluit, ut lacunam statueret ante v. 529. Nam sicuti verissimum est, quod Lachmannus iudicat, tam parvo intervallo poetam eisdem versibus (478, 9 = 522, 3) iterum uti voluisse credibile non videri, non minus tamen mihi certum constat, neque versus 524—28, quos quam maxime ad rem facere ipse Lachmannus vidit, postea demum additos esse, neque vero tribus illis qui hos secuntur versibus 529—31 idem argumentum contineri. Aut enim magnopere fallor, aut his inerat, qua potissimum de causa materiae summam finitam non esse probavit supra in I vv. 1014—51. Nempe aliter non possent, quod manifesto faciunt, primordia rerum summam, quaecumque creata est, ex infinito usque conservare, plagarum protelo undique continuato (cf. I 1050). Prorsus autem eos abicere cum Gassendio non debemus, quia nec unde irrepserint intellegitur, neque v. 532 cum 528 recte coibit. Sic enim haec cohaerent. Plagarum protelum undique continuatur; nam quod nonnulla rara vides animalia esse, alio terrarum loco fortasse plura sunt; sed esto iam res aliqua sui generis unica, nihilominus, nisi infinita eius semina sup-

peditant, neque creari omnino poterat, nec vero creata procrescere. Genere igitur in quovis infinita primordia esse constat (567). Itaque versuum 522—3 loco substitutis his, in quorum priore a Marullo uno in verbo recedendum mihi erat,

[Quod quoniam docui, nunc suavidicis age paucis]
529. versibus ostendam corpuscula materiai
524. inter se simili etc.

post versum deinde 528, alio pro v. 529 reficto, sic pergo:

528. quod non esse probavi,
[perspicuum quoniamst, corpuscula materiai]
530. ex infinito summam rerum usque tenere,
undique protelo plagarum continuato.

Hinc iam transeo ad duos locos tractandos, quorum alteri XXVI, alteri adeo LII versuum lacunam Lachmannus attribuit. Ille est post versum IV 126, alter post VI 839.

Atque primum in libro IV re vera mutilum esse argumentum, ante Lachmannum manifestum reddidit Bernaysius in N. Mus. rhen. V p. 582. Sed sicut vereor, ut recte Lachmannus intercidisse dixerit versus XXVI, ita eorum, quae sibi excidisse finxit, sententiam ab hoc loco alienissimam esse persuasum habeo. Rectius olim de hac lacuna Bernaysius iudicavit. Ubi enim quam tenui natura constaret imago (i. e. priva quaeque rei alicuius effigies) explicandum erat, neque asseri poterat, quod ab argumento contrario prorsus abhorret, *esse item maiora*, neque fragmento illi, quod Lachmannus inculcavit, suus locus esse. Quod, ut sit Lucretii, inter talia potius quadrat, qualia legimus II 1100 seq., V 399 seq., VI 378. Equidem igitur, quod ipse quoque conieci, antequam eandem Bernaysii sententiam nossem, in ipso titulo erratum esse scribendumque *esse item minora*, quo magis rem considero, eo magis mihi persuadeo. Denique ut iuste concludatur hoc argumentum, post v. 128 retrahendos esse censeo hos duos versus, qui sine sensu infra leguntur [5])

5) Etiam de his versibus idem iudicavit olim Bernaysius, qua tamen sententia in editione sua abiecta Lachmannum secutus v. 179 sic illis subiunxit

174. quorum quantula pars sit imago dicere nemost
175. qui possit, neque eam rationem reddere dictis.

et uti aperte huc pertinent, ita aliis in libris hic iterum exhibentur.

Sed quod enuntiavi, versus XXVI mihi intercidisse non videri, hoc primum qua ratione conveniat cum archetypi paginarum computatione explanandum erit. A libri igitur II v. 807 schedam integram incepisse constat. Ab illo autem versu usque ad libri finem sunt poetae versus CCCLXVIII et tituli VIII, qui sunt versus CCCLXXVI, paginae XV, in quarum postrema fuerunt versus poetae XII. Desiit ergo liber II in pagina dextra. Ab eiusdem schedae pagina sinistra *si iam* incepit liber III, hic idem, quoniam MXCIV carmina cum XIIX titulis explent XLIII paginas (in quarum ultima tamen XX tantum versus inerant), desiit in sinistra pagina schedae totius codicis LXVIII. Ita Lachmannus rationem subierit necesse est, qui primos versus XXV libri IV tribuit aversae schedae LXIX, adversae indicem capitulorum. Nonne vero poterat post finem libri II una pagina vacua relinqui? Hoc idem accidisse statuit Lachmannus in fine libri IV (cf. p. 318), ubi magis id mirum est, cum quinti libri tituli XXXVIII in unius paginae insequentis spatium conferti essent. Multo minus quam hic, cur vacua relicta sit una pagina, illic causa latet, quae eadem est, propter quam libri I *ultimam* paginam nihil inscriptum habuisse supra dixi (p. 6). Quod si igitur aversam schedae XLVI paginam vacuam mansisse sumi licet, liber III initium cepit a scheda XLVII, desiit in pagina recta schedae LXIX, cuius altera pagina recepit indicem capitulorum libri IV. Tum quoniam versus IV 299—347 eiusdem schedae fuisse certum est, huius libri carmina ipsa sic distributa fuerint:

---

in quem quaeque locum diverso momine tendat.

Sed sive contuleris V 735 (difficile est ratione docere et vincere verbis), sive reputaveris, differre aliquid „nemo dicere potest“ et „nemo eam rationem reddere potest“ locutiones (cf. VI 918), mecum spero fore ut suo loco vindices v. 179 sic emendatum:

in quem*cumque* locum diverso momine ten*dunt*.

In schedae quae post finitum librum III fuit

	pagina dextra:		pagina sinistra:	
I.	1— 25	(L. capp. index)	26— 50	(1 — 25)
II.	51— 77	(26— 50)	77—101	(51 — 76)
III.	102—126	(77—101)	**127—144**	(102 —126)
IV.	145—170	(* * *)	171—195	(127 —151)
V.	196—221	(152—177)	222—274	(177 —202)
VI.	248—272	(203—228)	273—298	(222*—247)
VII.	*299—322*	(248—272)	*323—347*	(273 —298)
VIII.		(299—322)		(323 —347).

In Lachmanni ratione, quam iuxta posui, neminem gravissime offendere non potest, quod versus 222—228 in cod. Quadrato bis scriptos (cf. p. 224) esse statuit non librarii incuria sed ea de causa potius, quod iidem in archetypo quoque repetiti exstiterint, cuius rei cum nulla sit verisimilitudo apud me fides non est. Meum calculum si sequeris, videbis septem versus intercidisse e pagina CXLIV, sex puto in superiore parte ante v. 127, unum in ima post v. 144, vel etiam, hunc unum si casu omissum credamus, quod saepius accidit, septem in summa pagina, ubi sordibus forte obducta fuerit. Unum illum versum ex poetae mente sic videor mihi refingere posse:

[percipe, sive oculos feriunt seu caeca feruntur.]

Quamquam enim perpetuo ab rebus fluunt simulacra, non semper tamen cernuntur, quod ipsum in iis quae secuntur explicat unde fiat. Illos autem versus septem, ut orationem fulcirem, simulque ostenderem, qua ratione qualicumque argumentum quod tractat tam angusto, uti videri possit, spatio apte poeta absolvere potuerit, hunc in modum relicuorum sententiae reddere conabor:

126. quorum unum quidvis, leviter si forte duobus
[adtingas digitis, subito te adspargit odore,
quantula quaeque putas iacere haec corpuscula semper,
nil ubi libatum de toto cernitur unquam?
Et iam cetera de genere hoc quaecumque sapores,
aut quae frigus uti fontes ignesve calorem,

ex alto mittunt penitusque in aëris auras,
cum bene cognoris, quidnam est, de corpore summo]
127. quin potius noscas, rerum simulacra vagari
multa modis multis nulla vi cassaque sensu?
174. *Quorum quantula pars sit imago dicere nemost*
qui possit, neque eam rationem reddere dictis.

Nec temere hos versus 174 et 175 huc traiciendos esse dixi, non tam aliis illis codicibus innisus, quam argumentandi ratione, quam a Lucretio hic teneri video. Dicti enim sunt, quod Lachmannum non fugit, de imaginum tenuitate, quae agitur a v. 110—128. Deinde ubi versibus 129—143 interposuit hoc, non ea solum esse simulacra, quae ab rebus recedant sed, ut Epicuri verbo utar, *συστάσεις* etiam, quae sponte sua gignantur in aëre, inde a v. 143 usque ad v. 176 de simulacrorum, non illorum tantum sed horum quoque, celeri origine agit. Hanc enim, non *συστάσεων* tenuitatem dici versibus 168—173, manifestum esse puto e v. 169 *tempestas* ***perquam subito*** *fit turbida foede.* Itaque uti in libris sunt aptissime hic quoque omnia procedere, nec vero de emblemate cogitandum esse censeo contra Lachmanni de vv. 129—142 et 168—75 sententiam.

Altero autem loco, qui est in libro VI post v. 839, ut adeo LII versus excidisse ei credam, haud magis adducor. Vix enim mihi persuadere possum, nondum satis de Avernis poetam egisse versibus 738—839, quibus et ubi sint et quae efficiant et quibus e causis id fiat manifestum reddidit, neque quidnam desideraretur Lachmannus credibiliter exposuit. Nam quod huic loco aptissime convenire dicit splendidam illam argumenti nimis ampli recusationem, hac in re certe fallitur, non propter ea tantum, quae Purmannus in Philog. III p. 73 de illius fragmenti dubia fide disputavit, sed quod talis recusatio a Lucretii ingenio omnino aliena est. Deinde ab Avernorum aestibus ad fontium frigora atque calores ut transiret, non multis verbis via munienda erat ei, qui sola *at* particula saepe usus sit, ut transitum sibi pararet ad argumenta diverssisima cf. V 650, 1027, 1361, 1436, vel adeo nullo cum orationis vin-

culo ab uno argumento ad aliud trangrediatur, sicut supra v. 451, cf. V 705, 1350. Neque aliter poterat fieri nonnumquam, praesertim in V libro et VI, ubi tot variae res ei explicandae erant, nisi forte eisdem semper vocibus *(nunc age, quod superest, nunc expediam*, similibus) ad fastidium usque abuti volebat. Quodsi igitur *porro* vocabulo minus aptum videtur, quo ad alterum argumentum transeatur, videndum est, num fortasse leniter eliminari possit, ut si temptemus: *Frigidior fit ut in puteis aestate sit umor*, *Rarescit quia* etc.

Denique nullum tantae lacunae vestigium exstat in capitulorum indice, cuius quanta sit vel saltem possit esse hac in re auctoritas, praeter alia (cf. ad VI 890) titulorum ad IV 326 et 312 adscriptorum ordo ostendat, qui vel solus illam schedam archetypi conversam fuisse arguere poterat. Iusta igitur, ut videtur, causa sublata ne illud quidem Lachmanno credamus, quod per se iam valde incredibile est, in pagina, quae fuit a V 980 XIX, praeter XIII postremos libri V versus confertos fuisse una cum subscriptione titulos libri VI omnes, qui in Oblongo cod. ut ipsum numerum XXVI versuum efficerent i. e. unius paginae spatium explerent, casu factum esse non credo. Itaque a v. 840 novam quidem archetypi paginam, non vero schedam incepisse staduendum erit, ut hic quoque liber a pagina recta initium sumpserit (cf. p. 11).

Praeter has ampliores lacunas, quas viri docti in archetypo exstitisse aut certis argumentis ostenderunt, aut coniecturis assecuti sibi videntur, hic illic unum vel alterum versum omissum esse sive librarii neglegentia sive nescio qua de causa, cur minus Lucretio accidisse credamus quam aliis scriptoribus, non est. Itaque huius rei certissima quaedam exempla cum constent post I 860, II 600, III 97 [6]), alii aliis locis hoc idem usu venisse suspicati sunt, recte quidem, ut mihi videtur,

---

6) Versum I 860 qui secutus sit necesse est, cum Lambino rectius sic refingemus: *nervosque ex alienigenis consistere rebus.*

Post v. II 600 versum aliquem intercidisse, quod primus Lach-

Bernaysius post II 681, V 31 et ante IV 671, Purmannus inter IV 216 et 217, non recte Lachmannus in versibus 969—70, Bergkius I 867—8, Bernaysius post II 465 et VI 47, 48. De quibus singulis breviter nunc ratio reddenda est.

Ac primum quod Bernaysio assentire malui quam Lachmanno de II 681, ideo factum est, quod *in priris pluraque dona*, si iam possit sonare „et in singulis complures qualitates", tamen neque apte sententiam claudet, et magis e poetae consuetudine est, ut eorum aliqua nominatim afferat, quae imprimis plures sensus afficere possint. Accedit quod v. 680, quem suo loco Lachmannus emendatum reddidit, qui huc irrepserit optime ita perspicietur. Etenim lacunam in archetypo indicatam, illum autem versum margini adscriptum fuisse puto. — Deinde post V 31 satius est, ut cum Marullo et Bernaysio versum aliquem excidisse credamus, quam cum Lachmanno *et aves* e *nobis* eruamus, quoniam tam paucis verbis de Harpyiis vix dixerit, qui reliquis bestiis omnibus tot epitheta largitus sit, et *nobis* alicuius ponderis esse docent vv. 24 et 26. — Denique versus IV 671 et 72, quamquam recte Lachmanno non

---

mannus arbitratus est, nec verba temptanda potius, pro manifesto inde mihi colligi posse videtur, quod vv. 602—7 similiter comparati sunt atque III 492—501, per quos eorum quae modo dixerat causas poeta exponit. Quodsi hoc etiam loco idem fit, quae quidem mea est sententia, aliquomodo quae perierunt possumus recuperare. Nam *per aërem* in curru ferri et *murali corona* insignem esse deam supra scriptum fuerit. Itaque uti *turrita* (Virg. A. VI 786), *turrifera* (Ovid. Fast. IV 219) corona ornata, *turrigera* aliis poetis Cybele appellatur, ita Lucretio haec tribuere conor:

[Turribus insignem ferri divam aëris altis]

601. Sedibus in curru biiugos*que* agitare leones.

Versum denique, quem post III 97 excidisse puto unum, ita (ad exemplum II 167) refingere possumus, ut optime, qui forte ab archetypi librario omissus sit, intellegatur:

97. Atque oculi partes animantis totius exstant.

[*At quidam contra hanc veram rentur rationem,*]

98. sensum animi etc.

coire dicti sunt cum iis qui in libris proximi praecedunt, vereor tamen, ut quadrent, ubi ab ipso collocati sunt. Etenim suave esse aliis quod aliis amarum, duabus e causis poeta repetit, primum quod semina in rebus mixta teneantur (642—44), deinde quod pro texturarum varietate animantibus etiam foramina interna caularumque formae differant (645—57). Hinc concludit quae continentur versibus 658—62. Quodsi deinde prius illud argumentum breviter revocare in animum volebat, non poterat tamen de *melle* id praedicare potius, quam de quovis alio sapore. Neque *enim* coniunctio qui recte se habeat video, nisi generaliter Lucretius dixerit: *utraque enim sunt in quovis commixta sapore.* Itaque aut sic fere emendandum est (quo facto eam quoque difficultatem tollemus, quod de *melle* nihil huius modi singillatim usquam dixit), aut cum Bernaysio lacuna statuenda ante v. 671, cui sententiae favet v. 663. Nam consentaneum est, cum dicit *quaeque* hinc cognosci posse, amplius unum exemplum ab eo afferri. — Postremo cur inter vv. IV 216—18 Purmanno versum excidisse recte visum sit, apparebit infra p. 25.

Minus recte autem mea quidem sententia lacunam Lachmannus odoratus est in versibus V 969—70. Neque enim tam „absurda ac plumbei acuminis" mihi videtur ista priorum hominum cum suibus comparatio (cf. 932, 939, 956,) quippe quae catenus solummodo facta sit, quod nuda membra foliis ac frondibus involvebant, neque tam difficile, si de *sŭbus* forma ut sibi constet a poeta flagitandum sit, unam quae tum deficit syllabam recuperare. Quid enim, si insertam fuisse credamus, qua toties usus est in hac descriptione, *tum* particulam: „*saetigerisque pares subus tum silvestria membra?*" versum autem 975 Avantius rectissime post 967 reposuit.

Nec maiore cum iure Bergkius de lacuna cogitavit intra I 867—68, argumentationem sic procedere iubens:

terram constare necessest
ex alienigenis, *[quoniam constare fatendumst*
ex alienigenis,] quae terris exoriuutur.

qua ratione tantum abest, ut sententiam adiuverit, ut strictam atque optimam argumentationem pessum dederit. Ad alterum enim exemplum si conformare voluerimus hoc, quod pressius proposuit poeta, sic dicendum erit: „e terra quoniam res variae crescunt, scire licet has omnes e terra constare, sive dicent terram ex ipsis esse, fiet ut terra ex alienigenis consistere putetur.“ Ergo non erit homoeomeria. Hoc optime poeta sic expressit:

867. praeterea quaecumque e terra corpora crescunt,
si sunt in terris, terram constare necessest
ex alienigenis quae terris exoriuntur [7]).

Haud magis merito Bernaysius abiit in eam opinionem, quam Lachmannus indicaverat, excidisse versum aliquem post II 465, ubi neque quidquam ad sententiam desideratur, nisi aut *est* (II 308, V 1055) aut *habendumst* (IV 256) aut *constat* (IV 898) [8]), et facili negotio versus finem emendari posse iudico, si scribimus

minime mirabile *id escit*

ubi in libris est *debet*. Facillime obscurari poterat antiquior forma quae semel tantum reperitur v. I 619.

---

7) Rectissime autem, ut hoc loco id addam, vv. 873 et 74 sic scriptos in codicibus:

praeterea tellus quae corpora cumque alit, auget
ex alienigenis, quae lignis oriuntur

idem Bergkius cum prioribus plerisque editoribus excludendos censuit. Nam in propatulo est, verba postrema *quae lignis oriuntur* adscripta fuisse versui 872 ad exemplum 869, et alterum versum 874 dittographum esse illius 867 *praeterea quaecumque* etc. Accedit quod alias constanti usu Lucretius haec verba coniungit *alit atque auget, auget alitque*. Vide I 229, 859. V 220, 322. VI 946.

8) Hoc ipsum aliquando restituendum esse duxi, de eodem exitu proximorum versuum securus, ut qui nec rarus sit, et ipse in causa esse potuerit cur verbum oblitteraretur. Ita sine consilio aut elegantia idem exitus est versuum I 793, 4. II 597, 8. III 430, 1. 702, 3. IV 100, 1. 339, 40. 509, 10. 605, 6. V 677, 8. 680, 1. 1178, 9. VI 684, 5. 823, 4. nec obstat Bernaysii coniecturae VI 281.

Denique cur ne eo quidem libri VI loco, qui ex omnibus facile est pessime habitus, recte a Bernaysio lacunam statutam esse iudicem, ut apertum faciam, de totius loci indole paullo altius mihi repetendum est. Ac primum Lachmannus, quem in eo Bernaysius sequitur, haec interpretari oblitus est in v. 45 *quaecumque fiunt — Pleraque dissolvi.* Tacite Lambinus haec non tulit et Creechius recte „meras nugas" appellavit; nam *quaecumque* fiunt, ea non *pleraque* sed prorsus omnia dissolvuntur aevi viribus ac plagis externis. Videas praeterea hic libri V argumentum paucis comprehendendum fuisse, quod non recte fit. Nam in V libro non solum mundi rerumque omnium mortalitatem tractat, sed cosmogoniam quoque (416). coeli siderumque motus (510) eorumque quae inde fiunt causas disponit, deinde (772) terra quo ordine modoque unumquidque creaverit agit, denique hominum originem et a rudi initio per inventa et artes ad provectiorem cultum progressus narrat. Atque ea omnia hic, ubi id genus quae restant, de tonitru, fulgure, presteribus, nubibus, pluviis, iride, relicua traditurus est, ne uno quidem verbo respexisse credendus sit? Non credo. Itaque mihi utrique offensioni providendum esse videtur, quod fiet, si leniter mutemus:

> 25. et quaecumque in eo fiunt fierique necessest,
> pleraque *ressolui*, quae restant percipe porro.

Ita *resolvere* dixit V 773; de duplicata s littera vide Lachm. ad V 514.

Haec igitur qui iam secuntur versus tres, in codicibus sic scripti:

> 47. quandoquidem semel insignem conscendere currum
> ventorum exirtant placentur omnia rursum
> quae fuerint sint placato conversa furore.

quam perturbati sint, non est quod exponam. Longum est omnium inde a Io. Aurato usque ad Lachmannum eos redintegrandi conatus enumerare, qui nihil fere certi erui posse ac de medicina paene desperandum esse docuerunt. Bernaysius igitur sententiam mutilatam quam corruptam credere maluit et coire cum illis quae secuntur ita, puto, ut tonitrua hic

loquatur ac fulgura, quo *cetera quae fieri tuentur* in v. 50 referendum sit. Sed lacunam hic primum concedere non debet qui calculos a Lachmanno ad v. 839 subductos probat, tum vero certum mihi videtur *cetera* verbum referendum esse ad vv. 45 et 46 sententiam, qualem statuendam esse supra monui. Quare equidem vix dubito, quin horum versuum simile argumentum fuerit atque 92 seq., sic fere, si liceat incertarum coniecturarum numerum novo conatu augere:

47. quandoquidem, *simul* institui conscendere currum
ventosum, *exortast*, placentur *ut* obvia rursum
quae fuerint, *spes*, *pacato* conversa furore.

Ventosum appellat carminis quem conscenderat currum, quia multae sibi obviae factae sint difficultates (I 136 seq.) nec nisi magno cum studio ac labore quamvis dulci (III 419. II 730) praeclara sua carmina pepigerit; sed laudis spes acri thyrso cor percussit et suavem ei in pectus musarum amorem infudit (I. 923. IV prooem.), ut omnia vincere studeret speraretque fore id ut perficeret. — *Simul* ut sit *simulac* habes I 87. — Quidquid autem de hac emendatione dixeris, acri medicina ut πρὸς τομῶντι πήματι opus erit, nisi eandem quam Bernaysius viam ingredi tute malueris.

Restat, antequam ad alterum caput transeam, ut paucis dicam de duobus locis, ubi non spero fore ut haud magis meo cum iure de lacuna cogitasse iudicer, quam alii illis de quibus nunc ipsum disputavi. Versum igitur IV 290:

illis quae reddunt speculorum ex aequore visum

Lachmannus retrahendum putavit post v. 270, cui deinde Bernaysius eum praeponere maluit. Sed his locis cum nequaquam tale aliquid requiratur, quoniam neque illis ultra speculum apparere imago, neque semota videri dicenda est ab „illis, quae reddunt speculorum ex aequore visum," sed explicatur simpliciter, cur non tam in ipso speculi aequore quam ultra esse videantur rerum imagines, hisce de causis haud scio an suo loco illum versum vindicare et antea aliquem periisse credere praestet, velut si hunc fingamus:

289. quare etiam atque etiam minime mirarier est par,
[*quasque foris res tam simili ratione videri*]
290. illis quae reddunt speculorum ex aequore visum,
aeribus binis quoniam res confit utraque.

Nam quid mirari non par esse dicat quamquam facile perspicitur, solet tamen Lucretius in fine capitulorum summam sententiam breviter comprehendere, praesertim ubicumque *quare etiam atque etiam* locutione usus est. cf. vv. 216, 856, 1207. I 295, 1049. II 243, 377, 1064. III 228, 576 etc. Deinde ita fere explendum esse, qualem versus speciem proposui, docent in v. 291 verba *binis* et *utraque*.

Alter locus est post III 461. Inde enim a v. 459 usque ad 525 leti participem esse animam hinc repetit, quod et morbis obnoxia sit et medicina flectatur. Sed aut parum novi poetae morem, aut sicut in fine summam rei his complectitur *ergo animus sive aegrescit mortalia signa Mittit uti docui seu flectitur a medicina*, ita ab initio quoque eorum quae secuntur summam sententiam breviter adumbraturus hanc sententiam proponere debebat: „videmus ut ipsum corpus sic animam quoque suos morbos ac dolores suscipere *[nec minus medicina flecti:] Quare participem leti quoque convenit esse.*“ Accedit quod, ni hanc rem hic iam tetigisset, longe aliter infra v. 510 de ea dicturus fuisset, nimirum ut appareret, novum proferri argumentum, sic fere: *praeterea quoniam* etc. vel *porro animum quoniam* etc. Nec deest, unde aptissime quae desiderantur reparemus. Nam post v. 473 hos versus sine sensu praebent Leidenses:

474. Et quoniam mentem sanari corpus ut aegrum
475. et pariter mentem sanari corpus inani

e quibus Bodleianus conflatum habet hunc versiculum:

Et quoniam mentem sanari corpus inani

cum priori illi 474 in antiquissimae Veronensis (1486) exemplari „e vetustis codicibus“, ut narrat Havercampns, adscripta essent haec verba: *et pariter mentem*. Quisquis fuit ille et undecumque hausit, quod verissimum est videtur intellexisse, hunc versum efficiendum esse:

et pariter mentem sanari corpus ut aegrum

quem ipsum equidem post 462 requiri censeo. In archetypo vel eius fonte exstitisse mihi fingo v. 475, cui postea, ad quem exitus emendaretur, adscriptus est v. 510 (= 474), unde quae insana sunt eo magis oriri poterant, quod, quo ista referenda essent quidque sibi vellent, perturbato semel versuum ordine non videbatur.

Sed iam satis de illis diximus, quae deesse videantur in libris nostris; reperiuntur etiam e contrario quae supersint. Quod genus cum haud pauca inveniantur, primum tamen locum sibi poscunt, ad quae nunc transibo, moleste ac prave iterata.

Cap. II.

De versibus prave literais.

Versuum moleste ac prave iteratorum duplex genus distinguendum est. Alii enim incuria quadam eius librarii, qui nostrorum archetypon scripsit, vel etiam ideo, quod in antiquiore fonte verus versuum ordo iam turbatus et parum clare in margine indicatus erat, e proxima potissimum vicinia in alienum locum commigraverunt. Hos facile, si quis ne accuratius quidem semper animum attenderit, inveniri licet. Itaque ut alii antea multos nunc admonito lectore nunc silentio omiserunt, ita Lachmannus huius generis haud parvum numerum curiose notavit. Vide I 769. IV 49 et 50, 102—3, 808, 1000—3, 1047. V 596, 771, 1328—9. VI 56—7. Alterum genus est eorum, qui non sine consilio quodam et certa voluntate iterum scripti inveniuntur. Ita V 574 (= 570) videtur mihi adscriptus fuisse ad 573, ut quinam huius locus esset appareret, eademque

de causa III 763 (= 745) versui 764 et VI 988—9 (= 996, 7) v. 990 appositi fuerint. Itaque saepius Lachmannus et antea Bernaysius lectorem quendam philosophum deprehendit, qui nunc explicandi comparandi, nunc deridendi gratia alios poetae versus aliunde adsciverit. Vide ea quae illi dixerunt de versibus I 44—9, III 806—18, IV 45—8, 799—801, V 1043—6. Nec minimam partem hac re factum esse, ut tot tantisque nonnunquam repetitionibus [9]), quae ad epicorum consuetudinem referri non iam poterunt et molestiam saepe parant, Lucretium contaminatum habeamus, etiamnunc mihi persuasum est. Quod cum idem olim Bernaysius iudicaverit [10]), nescio num forte, ut hanc rem in recognitione sua non persequeretur, inde factum sit, quod propter ea, quae de operis Lucretiani conditione Lachmannus disputavit, sententiam mutaverit. Verum est, cautius paullo decere nos de multis nunc iudicare, quam si ab ipsius poetae manu perfectum carmen absolutumque haberemus, velut de libri IV prooemio, sed tamen persuasum habeo, ex eodem depravationis genere quod cernitur I 44 seq. III 806 seq. nonnulla nos investigare posse certisque argumentis ea a Lucretio, ut alieno loco, repetita non esse evincere. Itaque equidem nunc tria vel quattuor repetitionum exempla hoc pacto admittenda non esse ostendam, II 864, III 87—90, IV 218—29, V 133—41.

Primum igitur, quod maxime memorabile exemplum est, versus IV 218—29 prave repetiti sunt e libro VI 922—33. De his cum nemo antea scrupulum sensisset, sanum iudicium modeste probavit Purmannus p. 676, qui, similiter atque de I 926—50 = IV 1—25 iudicavit, si Lucretius opus suum ab-

---

9) Earum tabulum, quae etiam amplificari possit, composuit Purmannus in Iahn. Ann. LXVII p. 664.

10) cf. Nov. Mus. Rhen. V p. 574. In p. 576 haec verba sunt: „persequerer relicua iterationum exempla, si id aut necessarium esset, aut tam breviter fieri posset, quam potest probari, facile omnes molestas iterationes ex locis similibus margini adscriptis esse ortas.“

solvisset, futurum fuisse existimat, ut hinc hos versus amoveret. Sed rem ipsam si altius persequi voluisset, vidisset arbitror, non posse hic ab ipso poeta illos versus positos esse, quos confidenter equidem ab hoc loco prorsus abhorrere iudico. Quod iudicium uti confirmem, paucis quid poetae disputatione agatur in animum inducamus. Postquam igitur *esse rerum imagines et simulacra* demonstravit (42—109)[11]), inde a v. 110 usque ad 129 illarum tenuitatem tractat, deinde ubi asseruit, praeter ea simulacra, quae ex missis imaginibus fiant, aliud eorum genus in aëre gigni, a v. 143—176 facilem simulacrorum tam horum quam illorum originem, a v. 176—215 celerem eorumdem motum agit, iamque a v. 230—521 ex his ipsis imaginibus sive simulacris (nam nunc non amplius discrimen curat (cf. 209—215, 239—245) *visum* explicat, ut relicuos deinde sensus ex similibus rerum effluviis, ἀποῤῥοίαις. Sed odores, sapores, voces, frigora et calores ex alto dum veniunt, per iter flexum scinduntur (92), at contra simulacra, εἴδωλα, summo de rerum corpore quia recedunt, omnem earum formam figuramque servant. Atque de his simulacris solummodo res est usque ad v. 522, relicuas ἀποῤῥοίας

---

11) In universum certe, licet Lachmannus id negaverit, v. 104 poeta concludit e superioribus, quae est totius capituli summa, *esse igitur tenues rerum figuras atque effigies.* Quam enim versibus 42—3 proposuit sententiam, eam tribus rationibus efficit; *principio,* ait, in rebus apertis ut alia multa, fumus, vapor, similia ex alto penitusque, ita cicadarum tunicae, vitulorum nascentium membranae, serpentium exuviae et denique colores summo rerum de corpore saepe mittuntur, hinc ut iam certa *formarum vestigia* videantur (54—90); *praeterea* nihil est, quod „tenuem summi coloris membranam“ uti odorem, fumum, alia discerpat (90—97); *postremo* in speculis quae nobis apparent, quia tam simili rerum specie praedita sunt, simulacra ex imaginibus missis consistant necesse est (98—102). Hinc denique concludit, quae comparatis vv. 42—3, et ratione imprimis habita versus 87, hunc in modum rectius redintegrari posse credo:

sunt igitur tenues *formae rerum* similesque
effigiae, singillatim quas cernere etc.

non nisi comparandi causa in singulis fere capitulis commemorat cf. 73, 90 seq., 123 seq., 199 seq., 259 seq. (599, 609, 690). Quomodo igitur in fine eius argumenti, quod est de sola simulacrorum celeritate, versibus 216 et 17 annecti possint illi qui suo loco leguntur in libro VI 922—33, equidem nullo modo intellego, quamquam cur ab aliis haec res perspecta non sit causa apparet. Nam de simulacris, *εἰδώλοις*, Epicureorum plerique ita sentiunt, ut non ad *oculos visumque* solum ea referant, sed „omnem eis sensationem fieri“ credant. Non enim Forbiger solus Eichstadiusve in huius libri argumento quod proposuerunt „sensus omnes simulacris moveri“, „vocem ac sonum corporeas esse imagines“ a Lucretio doceri volunt, sed quantum video omnes praeter Lambinum, sanissimi iudicii hominem, qui haec habet: „totam hic liber simulacrorum seu imaginum Epicurearum, quibus ille ad oculos nostros affluentibus visum lacessi, ad animum autem accurrentibus eumque ferientibus cogitandi vim et *διανοητικὰς φαντασίας* excitari putabat, explicationem complectitur.“ Qui quam recte vel solus senserit, intelleget quicumque accuratius rem examinaverit. Nulla ubi de ceteris sensibus agitur simulacrorum mentio fit, quae tum demum, cum animum quae moveant explicare aggreditur, iterum poeta advocat, his versibus usus (750—1)

750. quatenus hoc simile est illi, quod *mente* videmus
atque oculis, simili fieri ratione necessest [12]).

---

12) Nullam rem esse cum odoratu, gustu, auditu, tactu simulacris testatur etiam *Cic.* de fin. I 6 „Epicurus cum Democrito *idola* nominat, quorum incursione non solum *videamus* sed et *cogitemus*.“ Nihilominus de hac re tam simplice atque aperta non solum Lucretii interpretes gravissime falluntur sed etiam ipsi philosophi. Legas enim quae *Ritter* hist. ant. phil. I p. 576, III p. 489 docet, qui unde didicerit *ἀποῤῥοιὴν* et *εἴδωλον* eadem esse (I p. 577 Anm. 5), nescio. Eum non correxit *Zeller* III', 1 p. 210, 214 seq., 231 seq. Vera tamen sententia subest *Brandisii* verbis I p. 333 n. ff. — Fallere poterant Pseudo-Plutarchi verba de plac. phil. IV, 8 *Λεύκιππος καὶ Δημόκριτος τὴν αἴσθησιν καὶ τὴν νόησιν γίνεσθαι* (*φασιν*), *εἰδώ-*

Quare fatendum est, post vv. 216, 17 ceteris effluviis commemorandis locum non esse. Versus igitur 218—29 paucis mutatis a male sedulo lectore e VI libro huc translati sunt, et a v. 217 statim ad v. 230 progrediendum est nobis. Sed inter versus 216 et 217, sive 921—23 comparavero, sive quae praecedunt reputo et animo complector (176—215), haud scio an rectius senserit Purmannus, intercidisse versum aliquem, quo haec illorum sententiae arctius adiungerentur, talem puto:

[perpetuo mitti de rebus mobilitate]

quam Lachmannus, qui in v. 216 *mira* vocem mutavit in *mitti*.

Ad comprobandam autem meam de versibus 218—29 sententiam non desunt exteriora etiam argumenta. Primum enim conglutinationem videor mihi cognoscere in *que* particulae usu vel abusu, cuius simile exemplum non inveni; nam paullo dif-

---

λων ἔξωθεν προσιόντων. Sed idem IV, 13 definitius dicit: Δημ. καὶ Ἐπίκουρος κατ᾽ εἰδώλων εἰσκρίσεις ᾤοντο τὸ ὁρατικὸν συμβαίνειν. Neque aliter Diog. Laert. IX 44 de Democrito tradit ὁρᾶν δ᾽ ἡμᾶς κατ᾽ εἰδώλων ἐμπτώσεις. Idem de Epicuro amplissimus testis X 46—54 hanc doctrinam eodem fere modo exponit atque Lucretius. In cap. 46 esse dicit τύπους ὁμοιοσχήμονας τοῖς στερεμνίοις, quos explicat ἀποῤῥοίας τὴν ἑξῆς θέσιν καὶ βάσιν διατηρούσας, et addit, τούτους δὲ τοὺς τύπους εἴδωλα προσαγορεύομεν. Huiusmodi autem nec voces sunt neque odores nec sapores nec frigora vaporesve. Apertis porro verbis c. 49 haec habet: ὥστε ὁρᾶν ἡμᾶς τύπων — — — ἐπεισιόντων ἡμῖν εἰς τὴν ὄψιν ἢ τὴν διάνοιαν, atque ne cui dubium videatur, adhuc de visu tantum dixisse eum, pergit c. 52 ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ ἀκούειν γίνεται πνεύματός τινος φερομένου κ. τ. λ., τὸ δὲ ῥεῦμα τοῦτο εἰς ὁμοιομερεῖς ὄγκους διασπείρεται. Quomodo igitur talis fluctus *imago* appellari debeat, cuius natura poscit, ut neque confundatur neque diffundatur (Lucr. IV 609.)? Eodem modo c. 53 asserit: καὶ μὴν καὶ τὴν ὀσμὴν νομιστέον ὥσπερ κ. τ. λ. — Hanc rem de simulacris neque *Reisacker* in egregia dissertatione sua, quae inscribitur *Quaestiones Lucretianae* (Bonnae 1847), detegere curavit (vide enim, quae parum accurate dixit p. 3, 5—6, 18 seq.) et *Lachmannus* se eam non perspexisse declaravit in p. 221, ubi, quod his verbis dixit „fieri non posse ut singula simulacra *sensibus* nostris percipiantur", accuratiori dicendum erat *oculis*, *visu*.

ferunt ea ubi duo enunciata aequalia ita coniunguntur, VI 924, II 93; haec autem „*quare* simulacra mitti necesse est fateare" et „perpetuo*que* fluunt, ab rebus odores etc." non coire dicenda sunt, quoniam, ne a *quare* coniunctione v. 218 cum relicuis suspendatur, ipsa philosophica ratio vetat. Deinde nonne admodum mire evenit hoc, ut versus 229, qualis numquam a Lucretio proficisci poterat, ad litteram idem sit atque VI 933:

cernere odorari licet et sentire sonare?

Cuius tamen versus sententia non adeo mihi inepta et absurda videtur atque Lachmanno, qui hac in re acumini nimium indulsit. Verumne est igitur „perpetuo nos et omnia sentire"? Immo multo verius est illud, „omnia licere semper cernere, odorari et audire," quod nemo non recte capiet. *Gustare* autem non licet, nimirum, quia cibus sponte sua in os nobis non advolat, sicut odores, sonitus, frigus calorve, simulacra ad ceteros sensus accidunt. Itaque non erat nullius sane iudicii, hic gustum omittere. Merito tamen offendit Lachmannus in sentire verbo, cum multo melius proprio verbo poeta uti posset. Lambinus dedit *licet exaudire sonorem*, sed addamus quae desideratur particulam:

cernere odorari licet *atque audire* sonorem.

Sive igitur tali fere specie a Lucretio profectus est, sive ab interpolatore affictum credere mavis, cum ad litteram bis idem exstet, alterutro in libro ex altero eum adscriptum non esse vix poteris tibi persuadere. Quodsi vero hunc iam aliunde translatum esse constat, non solus id passus erit, sed una cum eis quibus adhaeret.

Sed quo copiosior de hoc loco fui, eo brevius nunc de relicuis iam dicturus sum. Quibus igitur versibus in libro III 784—97 usus est, ut cum corpore animam una interire nec sine illius coniugio durare posse demonstraret, eosdem repetitos legimus in V 128—41, ubi tamen longe alia res agitur. Maria enim, terras, coelum, solem, lunam, sidera fore ut pereant demonstraturus cavet antea, ne credat Memmius, *divino illa sensu praedita* et propterea aeterna esse. Tantum abesse

dicit, ut vitaliter animata sint, ut quid vitali motu ac sensu orbum sit, notitiam praebeant (125)

126. quippe etenim non est, cum quovis corpore ut esse
posse animi natura putetur consiliumque.

His primum eosdem quattuor versus (initio paullum mutato) subiungit, qui sunt in III 784—87 *sicut in aethere non arbor* etc., aptissime hoc quidem; sed quae deinde secuntur *sic animi natura nequit sine corpore oriri Sola* etc. quid haec iam sibi volunt, ubi de eo res non est, num *sola* sibi vivere possit anima extra corpus, sed potius num in talibus inesse possit qualia sunt terra, mare, caelum, sol, luna, sidera? Itaque non dubito, quin haec V libro lector importunus largitus sit, Lucretio autem reddenda haec orationis continuitas:

132. sic animi natura nequit *sine forma animali* (141)
142. putribus in glebis terrarum aut solis in igni
aut in aqua durare aut altis aetheris oris.

Nec desunt hic quoque pravae iterationis indicia in ipsis litteris ac syllabis; nam utrobique eadem vitia deprehenduntur, talia, quae haud facile aliquis corrector in alterum locum transtulerit. In v. enim III 789 aeque atque V 133 legitur *longius*, quod debet esse *longiter*; in v. III 790 et iterum V 134 exstat *quod si posset enim*, ubi vel cum Lambino *hoc si posset enim*, vel cum Lachmanno *quid si posset enim?* legendum erit [13]).

Itaque hi quoque versus secludendi sunt, nec aliter iudico equidem de versibus III 87—90 et II 864, sive haec omnia (et plura fortasse) unus idemque lector ille philosophus margini adscripsit, sive alii eandem sibi licentiam sumpserunt. Utcumque hoc se habet, neminem puto mihi contradicturum esse, si v. II 864 adscriptum fuisse iudico ad vv. 862—3 a lectore haud quidem somnianti, qui his versibus:

862. inmortalia si volumus subiungere rebus
fundamenta, quibus nitatur summa salutis.

---

13) Bernaysius cur altero loco alterum sequi maluerit, causam nullam invenio.

eandem inesse vidit sententiam atque illi, qui suo loco supra legitur 756 (= I 673, 797)

ne tibi res redeant ad nilum funditus omnis

quem ne ab ipso poeta hic repetitum credam, praeter sententiam bis expressam vetat oratio hians nec apte nexa.

Denique nemo semel admonitus non videbit, quam incondite atque inscite in III libro versus 87—90 „nam veluti pueri — finguntque futura" subiungantur iis qui praecedunt „nam iam saepe etc. Nam illis versibus, ubi iterum leguntur in II 55—58, VI 35—38 nil perstringit aliud nisi ipsum religionum, mortis, Acheruntis timorem, quae cum hoc loco inde a v. 35 multis iam ac definitius locutus sit, parum apte tectioribus verbis iterum asserit. Quare mihi dubium non est, quin hic item atque I 146—48 ipse poeta tres tantum versus 91—93 repetiverit, ceteros lector ille adscripserit.

His finibus hoc genus eorum quae abundant circumscriptum sit, iamque ad illos versus accedam, qui non alienis locis male iterati, sed ab aliis atque ab ipso poeta conficti videantur, quibuscum insequenti capite una complectar eos qui transpositi habeantur.

Cap. III.

De totis versibus aut spuriis aut transpositis qui videantur.

§. 1. de vv. spuriis.

Quam parum integro et puro e fonte optimi Lucretiani codices fluxerint, inde maxime conspicitur, quod ne spuriis quidem versibus liberi feruntur, quos nescio quis versificator

importunus poetae largitus est. Itaque ex hoc genere Lachmannus, cum plures notaverit, mihi persuasit habendos esse III 743 et V 1006, nec minus II 1015, 1016, 1020, V 1315; quamvis ex ipsius poetae versibus hi conficti sint. Denique dittographos esse II 636, V 1328 nemo non videt. His addendos videri versus I 873 et 74 ut supra monui (not. 5), ita infra apparebit, cur v. III 685 merito Bernaysius excluserit, Lambinum potius quam Lachmannum secutus. Altera tamen ex parte ut spurios mihi persuasum est Lachmannum multos abiecisse, qui et optimi sint et religiose servandi. Versum igitur V 1230 offensioni non esse vidit Bernaysius, de IV 229 (= VI 933) supra dixi, et versus III 474—75 quomodo lucro apponendi essent palam feci p. 20. Nunc cur haud magis de versibus his I 334, 454, III 412 et 415, 431 et 433, VI 228—29 a Lachmanni partibus stare possim, ratio erit reddenda.

Ac primum versu I 334 quo iure definitionem contineri putaverit, non intellego. *Est* idem valet atque *exstat*. Tum quoniam quod est inane alias dicitur esse intactile, (I 437) intactum (V 358), non est cur locus ac spatium (cf. I 426, 955 etc.) ita appellari nequeat. Ergo sola offensio est in voce *quapropter*; sed optime hanc tolli iudico, si versum ipsum suo loco reddiderimus, qui est post v. 345 [14]).

Prorsus nulli autem offensioni est v. III 412, modo recte sententiam teneamus. Sine visus pernicie, si pupula incolumis relinquatur, circum lacerari posse dicit *orbem oculi*, nec tamen omnem omnino circumcidi debere, prorsus uti non omnimodis, sed magna ex parte, anima membrisque homo privari possit sine vitae damno. Versus 410 et 411 parum recte Lachmannus sic interpretatus est, quasi Lucretius dixisset,

---

14) Maximo meo cum gaudio factum est, ut eandem hanc meam sententiam in ephem. litter. Monach. 1851 p. 784 propositam esse reperirem etiam a Spengelio v. cl., qui ibidem versum I 454 non improbabiliter defendit vel sic emendavit:

Tactus corporibus cunctis *intactile* inani.

„dummodo ne totum corrumpas *oculum*, *sed* ipsam aciem incolumem relinquas." Sed uti a toto *oculo* diversus est *luminis orbis*, ita differt ab *acie* sive pupula. Quod ipsum discrimen non satis perspexit librarius ille, cuius ex additamento *alioqui* in v. 415 irrepsisse mihi videtur; nam optimus erit hic quoque, si hoc modo emendetur:

415. incolumis quamvis *linquatur* splendidus orbis.

Versus eiusdem libri 430 et 433 propterea retinendos esse iudico, quod intellegi non potest, quanam *tenui magis causa* anima icta moveatur, ubi somnis sopiti vaporem fumumque ab altaribus exhalari cernimus, nisi de illorum imaginibus cogitamus. Itaque etsi iam supprimantur verba, cogitando nihilominus fiet simulacrorum mentio, quam tamen ne faciat ante librum IV vetare, penes nos non erit. Haud enim ita pauca sunt, quae quarto demum libro perlecto plane intellegantur, exempli gratia I 298 seq. II 414 seq. 854 seq., cuius rei causa haec est, quod aliter atque Epicurus canonicam physicis decretis non praemisit Lucretius, sed in IV demum libro tractavit[15]. Itaque in v. 433 solummodo *hinc* emendandum est cum Lambino et Bentleio, in 430 *movetur*.

Denique ne intra vv. VI 228—29 quidem interpolatorem agnosco sic:

228. transit enim validum fulmen [per saepta domorum,
229. clamor ut ac voces, transit] per saxa, per aera.

De his versibus omne iudicium pendet a libri I vv. 489 et 90: *Transit enim fulmen caeli per saepta domorum Clamor ut ac voces, ferrum candescit in igne*, ubi Lachmannus „cael*um*" et „clamor *it* ac voces" corrigit. Sed quid id est, *coelum* si transire dicitur fulmen, ut inde videatur, in rebus nil solidi inesse? Sin dicitur *fulmen caeli* transire per septa domorum *sicut* voces transeunt (356) i. e. tam volubiliter ac sine labore, hoc utrumque ostendit muros esse raro corpore nec solidos. Itaque neque comparatio illa male me habet, cui cupidius

15) De hac re consulas *Reisakerum*; cf. imprimis p. 4, 7, 21.

instat Lachmannus, et Oblongi cod. correctori potius in V 1244 (una cum Quadrati testimonio) quam primae manui obsecundandum esse iudico, ut illic quoque habeames „seu *caeli fulmine* misso.“ *Missum fulmen* sine termino qui appellatur *a quo*, dictum est : ut in VI 407, *venti vis missa* VI 300, 310. — Quare etiam vv. VI 228—29 uti in libris inveniuntur sanos esse existimo.

Bernaysius praeterquam quod de his omnibus Lachmanno assensus est, alios etiam ex eodem hoc genere esse voluit, quod ultra fines ab illo constitutos pertinere iudicavit in praef. p. VII. Itaque spurii ei videntnr III 358, 362, 764, quos equidem omnes Lucretio vindicabo. Ac primum quae mea esset de v. 764 sententia, supra (in p. 21) iam indicavi; nam qui cum eo coniunctus prave iteratur v. 763=745, cum obsonam esse equorum mentionem, ubi de hominum animis sermo fit, cum Bentleio Bernaysius intellexisset saltem, verum versuum ordinem ostendere poterat. Addito igitur *est* verbo substantivo, quo cur in v. 747 *crescit cum corpore toto* dixerit appareat, hos versus sic ordinabo:

744. et iam cetera de genere hoc cur omnia membris
ex ineunte aevo generascunt ingenioque,
764. *nec tam est doctus equae pullus quam fortis equi vis,*
746. si non certa suo quia semine seminioque
vis animi pariter crescit cum corpore toto?

Nec magis recte idem Bernaysius duos relicuos versus exclusisse videtur. Atque primum illi qui ipsum corpus omni sensu expers esse solamque animam sensiferos motus suscipere putat, quianam dimissa anima corpus sensu careat, haec Lucretium respondentem facit Lachmannus:

357. perdit enim quod non proprium fuit *eius in aevo,*
nullaque praeterea perdit *quom* expellitur aevo.

Quorum primum alter hic versus quid hac specie ad rem faciat non video, deinde accedunt alia quibus laboret incommoda. *Nulla* enim ut sit pro accusativo *nihil*, *nullas res*, nemo Latinus unquam dixerit, ac ne pro nominativo quidem Lucretius

habet, nisi cogitatione ubi addendum sit *corpora*[16]. At quod grammatica non fert, magis etiam ipsa sententia respuit; nam non languide solum sed adeo falso adderetur talis v. 358, quoniam praeter sensum corpus alia *multa* amittit frangente aevo, auctum, motum, iuventutis florem, vires omnes ac facultates. Corruit igitur iam Lachmanni sententia. Quod cum perspexisset Bernaysius, hunc versum uncis inclusit, quod ante etiam Creechius fecerat. Priorem, quamquam alter absit a Vaticano cod., eiciendum iudicavit Lambinus, cui idem utriusque versus exitus persuasit alterutrum foris irrepsisse. „Quandoquidem duo vv. inter se proximi in eandem vocem desinant, magno id esse argumento, inquit, alterum esse alienum" (*ita* exstimavit etiam de VI 15 et 16). Sed eam poemati elegantiam comparare Lucretius aut non curavit, aut certe ne faceret fatis impeditus est; vide supra n. 8. Itaque de emendando potius quam delendo versu cum cogitarem, ansam mihi praebuerunt alterius versus postrema verba *in aevo*, quae quid sibi velint frustra quaero. Bene intellego haec „perdit enim quod eius proprium non fuit", sed *in aevo* num recte cum Creechio interpretemur *dum vixit*, valde dubito. An forte *post mortem* eius proprium erit? Itaque conicio *quod non proprium fuit eius in aevom;* deinde alteri versui optime sententiam stare puto, si dempta una syllaba legamus: *multaque praeterea perdit, cum pellitur aevo* i. e. ipsum cum aevo, aetate frangitur, senio expugnatur, quae longe frequentissima *aevi* signifiatio

16) Non recte Lachmannus nos relegat ad I 242, ubi si eius interpretatio vera esset, necessario legendum foret *quarum* vel *earum* (i. e. rerum cf. 238. 246). Sed in v. 239 *aeterna* absolute dictum est, sicut *prima* II 313, IV 186. Addas cogitatione corpora. Haec enim, non ipsa materies, nexu inter se impedita dicuntur et huc denique refero quod legimus in v. 242 *quippe quorum* etc., ita ut „ubi *nulla* forent aeterno corpore" idem fere valeat atque ubi *non* forent aet. c." — In v. 611 cur Preigeri emendatio *illarum* Marullianae, quae est *ullorum*, praestet, apparebit cap. IV.

est cf. I 325, 553. V 58, 61, 306, 314, 379, 832 etc. Ergo sic propono:

> 357. perdit enim quod non proprium fuit eius *in aevom*,
> *multaque* praeterea perdit, *cum pellitur* aevo.

Versum huius libri 362 mirum in modum relicuae sententiae interposuit Lachmannus, cuius rationem suo iure sprevit Bernaysius. Nam luce clarius est *lumina luminibus quia nobis praepediuntur* verba nec divelli debere, et eius rei causam continere, quod *cernere saepe nequimus*. Versum suo loco tuentur Turnebus in adv. XXX, 10 („trahit enim et detrudit sensus ad aciem ipsam aspectumque et ad testimonium suum adducit“) et Wakefieldus, qui sic interpretatur: „sensus, quem habent oculi rebus externis percussi, evocat animum ad eorum acies, ita ut consociatis animi et oculi potestatibus videndi facultas exoriatur.“ Quorum mentem se non percepisse dicit Lachmannus. Ipsum tamen versum et optime se habere iudico et sic interpretor: „Cum, rerum fulgore impediti, oculi cernere ac bene dispicere saepe nequeunt, hic eorum sensus trahit ac detrudit (nos) ad ipsas acies, ut magis acute videamus.“ Comparare possis IV 807—10. Expulso autem versu illo manca exoritur argumentatio; nam, si quid video, quemnam laborem in videndo ipsi oculi susciperent, dum ostiis nullus esset, Lucretio indicandum erat.

Merito tamen cum Lambino Bernaysius expulit v. III 685, qui cum 684 hunc in modum coniunctus traditur:

> 684. sed velut in cavea per se sibi vivere solam
> convenit, ut sensu corpus tamen affluat omne.

Hic Lachmannus cum vidisset contrariam sententiam postulari, pro *affluat* scripsit *arceat*; quod si largiamur, repugnat adversandi particula, quae eius esse nequit qui *arceat* voluit. Itaque totus ille versiculus a lectore aliquo imperito confectus est, qui eruditi attentique nomen affectabat. Meminerit ille eorum quae supra sunt 350—69, neque curavit ea quae statim secuntur post v. 690. Nec difficile est, quomodo natus sit perspicere. Scilicet ut explicaret infinitivum *vivere so-*

lam, e v. 682 adscripsit aliquis *convenit*, quod verbum deinde alius pro versus initio habuit, sed male cessit ei quod sibi arrogavit explendi negotium.

Relicuum est, ut denique dicam de duobus versibus, quos equidem a Lucretio profectos non esse puto II 41 et V 704. — In v. igitur II 41 si ita olim atque in nostris nunc libris (Obl. FRVERE praebet, Quadr. ERVERE) erratum erat, cur Nonius eo usus non sit aeque atque hoc *fervere*: *cum videas classem lateque vagari*, satis causae non video. Mihi potius cum Bergkio (l. l. p. 329) eiusdem versus alteram speciem Nonius exhibere videtur, sed eam prae altera haud spernendam. Nam nostrorum archetypon maiorem hic turbam passum esse, unusquisque videt. Itaque haud scio an illum versum, quem inter Lucretianos Lambinus primum recepit, pro genuino habeamus, qui ante memorabiles vv. 42, 43 collocatus ad exemplum 324 depravatus sit, nimirum quia navibus (ita enim interpretor) tum locus amplius non erat. Deinde ipsi vv. 42 et 43 etsi ingeniose quidem a Bernaysio tractati, non tamen ut Purmanno (p. 671) eximie mihi restituti videntur. Praeter ea quae Bergkius monet dici vix potest quam ignave haec fluant: *subsidiis magnis hastatis constabilitas.* Itaque versu 41 eiecto, vel saniore cum specie suo loco reddito, in v. deinde 42 Lachmannum sequar, in 43 Bernaysium:

40. si non forte tuas legiones per loca campi,
42. subsidiis magnis*que elephantis* constabilitas,
ornatas armis *pariter*, pariterque animatas
(41) *fervere cum videas, classem lateque vagari,*
44. his tibi tum rebus etc. —

Versum V 704: *propterea fit uti videantur dicere verum* e Lachmanni silentio (cf. comm. p. 16) in Vossianis hic legi sumere debebimus, quidquid contra testatur Havercampus [17].

---

17) Tantane igitur eius impudentia fuit, ut bis grave mendacium committeret? Memorabilius sane hoc est, quam quae Lachmannus notavit ad V 472, 1001. VI 370, 956 etc. Haec enim adscripsit ille versui 703: „*faciant.* faciunt Y. Z. (i. e. Obl. Quadr.) *de surgere.* desurgere

Sed quomodo haec intellegenda sint non assequor. Quosnam igitur, qui verum videantur videre, cogitat? Equidem potius cum Gifanio faciam, cui „inepte videtur inculcatus et sententiam vitiare.“ Non enim debebat Lucretius v. 703 ita collocatum incipere uti fecit, si voluit referri *qui* relativum non ad *ignes*, sed ad *eos* qui subsequenti versu dicuntur. Neque enim quisquam hic respici negabit ea quae supra sunt v. 660, et apertum est, hos ignes quosnam dicat definiendum esse sicuti v. 662. Nam pro Epicuri ratione has varias causas affert cur dies crescere et rursus minui credantur, aut sol quia imparibus amfractibus currat subter atque superne, aut quia crassior sit aër certis locis, aut etiam (701) quia alternis anni partibus tardius et citius confluere ignes consuerint — qui ignes? illi qui ex nonullorum sententia *faciunt solis nova semper lumina gignī* (662). Itaque v. 704, qui aliis in libris post 695, aliis post 714 legitur, post 703 profecto ferendum non esse iudico. Magis quadrat post 695 sic emendatus: *quapropter fit uti* etc., sed multo etiam mihi verisimilius est, ab ipso Lucretio eum non esse profectum, quoniam, quae sibi vera videatur causa ex multis, in hisce rebus Epicureum asseruisse consentaneum non est. cf. v. 531.

§. 2. De versibus transpositis qui videantur.

Latius etiam quam quod modo tractavi evagatum est id depravationis genus, quod conspicitur in versibus non suo quoque loco positis. Hoc unde ortum sit, neque cognitu difficile et hic illic a Lachmanno significatum est, qui hoc quoque in edi-

---

C. E. P. X. Huic postponit Q_1. vetus codex, et P. *propterea fit uti videantur dicere veni.* ut ii — verum P. uti — verum Q_1. Deinde ubi ipse illum versum exhibet (i. e. post 714 L.) haec habet: „deest P. Q_1. *uti.* ut ii Q. commutatur cum 703 (i. e. 705 L.) Z.“ — Vellem Lachmannus hic animadvertisset aliquid, qui quod hanc perstringendi occasionem neglexit, miror. Similis tamen Havercampi stupor est V 1012, ubi versui illi a Marullo male affiicto adscripsit hoc solum: „abest Q.“ ac si in Vossianis exstaret.

tione sua optime instituit, ut versuum ordinem, qualis in Lugdunensibus exstat, numeris adscriptis ubique ante oculos poneret. Rectissime igitur ille sive ante eum iam alii, Marullus maxime aut Lambinus, horum versuum ordinem mutavit: I 14 155, 434. II 5, 680, 743. III 46, 686—89, 865, 955. IV 133—4, 141—2, 250, 260, 299—322, 551—2, 863, 999, 1210. V 31, 437—9, 573, 594—5, 1131—2. VI 934—5, 990, 1033, 1178, 1225, 1245. Sed Lachmannum proclivius in huius rei suspicionem abiisse non fugit Bernaysium, qui in recognitione sua rectissimo iudicio, ut mihi videtur, in priorem ordinem reduxit hos versus: I 568, 806. III 298. IV 413, 671—2. VI 187, 793, 955. Equidem supra non magis reponendos videri iam dixi III 362, IV 179, 290. Sed his nunc addam, quos pariter suo cuique loco vindicabo II 476, 923. III 393. IV 179, 795. V 410, 515—6, 693, 1343, sicut alium in locum, quam qui Lachmanno visus est, transferam IV 51—3, 195. V 175—6, 975. — Rarius contrarium accidit, ut Lachmannus non transposuerit qui transponendi videantur. Itaque ut aptius multo Bernaysius IV 203 post 188 collocavit, quam Lachmannus eum emendavit, et Bergkius rectissime vv. II 1170—72, quos ad aratorem potius quam ad vinitorem spectare intellegeret, post 1167 transtulit, equidem e loco movendos iudicavi supra versus I 998—1001, quibus addo nunc II 453, IV 205, 783. V 312. VI 513—16. De quibus omnibus quam brevissime fieri potest deinceps iam disputabo.

Atque primum quod enuntiavi, a Bernaysio rectissime reductos esse versus aliquot, eius iudicium meis rationibus confirmare non est animus; sed tamen de eis dicam, ubi cum illo non prorsus mihi convenit IV 418, VI 187 et 955.

Versus igitur 418—19 quarti libri cum in Oblongo cod. legantur tales:

nubila dispicere et caelum ut videare videre
corpora mirande sub terras abdita caelo,

in Quadrato non apparente *ut* particula, Lachmannus inverso ordine sic emendatos proposuit:

> *Ut prope* mira*clo* sub terras abdita ca*eli*
> nubila dispicere et cael*um* videare videre.

Quae ars merito quidem audacior Bernaysio visa est; sed non magis amplecti possum eam emendationem, quam ipse voluit:

> nubila dispicere et cael*um ut* videare videre *et*
> corpora mira*clo* sub terras abdita cae*li*.

Primum enim apud neminem inveni Latinum *caeli corpora* pro eis quae sunt *signa*, *sidera*, deinde *et* in versuum hexametrorum fine ponere satiricis tantum licuisse docet Lachmannus p. 102, (ac pro certo nullum est apud Lucretium eius rei exemplum), denique inter *nubila* et *sidera caeli* ipsum *caelum* enumerari non debebit. Itaque quod in margine adscriptum exstitisse mihi fingo *caeli* vocabulum (ex quo *caelo* factum est), sive emendatio fuit versus 418, sive interpretamentum v. 419, expulisse puto *stellarum* mentionem, qua opus est, et totum locum sic integritati reddo:

> nubila dispicere et cae*li ut* videare videre
> corpor*e* miran*do* sub terras abdita *signa*.

In VI libro vv. 187—88 rectissime emendatos (*nec* legit) suo loco reddidit, sed minus recte idem *inferna* scripsit, quod quidem Lambino teste „in aliquot codicibus" exstat. Nam *lata inferne* et *sursum exstructa* ancipitem faciunt oppositionem. De neutro autem genere cur potuerit securus esse, apparebit c. IV.

Ad eiusdem libri VI v. 955 „nihil clarius esse, Lachmannus dicit, quam hunc versum non suo loco legi qui sit post 947." Hoc tamen verum non esse perspexit Bernaysius[18]. Quid enim falsius esse potest, quam his: *diditur in venas ci-*

---

18) Neque hoc solum loco tanta confidentia quae falsissima sunt Lachmannus pronuntiavit. Vide enim II 785. ubi rationi debetur *extra*, V 809 ubi *aetas* rectissimum est, VI 868 ubi Bernaysius quoque errorem eius sequitur. Attamen calidum *saporem* equidem non novi, et si iam dici possit, sapor ipse *tactu* est calidus uti vapor. Ergo in hoc non maior erit offensio, sed nullam esse censeo, quoniam paullo differt, quod poetae verbis continetur utrumque, *aqua ipsa tactu est calida*, et *vapores exhalat calidos* (cf. 858. 870).

bus omnis auget alitque . . . . unguiculosque" subiungere illum versum *morbida visque simul cum extrinsecus insinuatur?* An forte haec quoque extremas corporis partes alit et auget? Deinde in versibus etiam 956—58 constituendis explicandisque si quis Lachmannum ducem sequi voluerit, videat ne grave quid contra grammaticam peccet. — Bernaysius igitur primum rectissime v. 955 reduxit et relicua deinde sic constituit:

955. morbida visque simul, cum extrinsecus insinuatur,
e tempestate *in* terra caeloque coor*tast*,
in caelum terrasque remo*tas* iur*e* facessunt;
quandoquidem nil est nisi raro corpori' nexu.

In libris est: *et* tempestat*em* t. c. coor*ta* — remot*ae* — iur*ae* — corpor*e* nex*um*. — Illum Purmannus se non intellegere fatetur l. l. p. 678. Sed videre poterat, typographi errore factum esse, ut pro *facessit* legamus fa*cessunt* pluralem. Bernaysii igitur mens, ni fallor, haec est: „et morbida vis, cum extrinsecus nobis insinuatur neque ex ipso corpore originem ducit, simulatque e tempestate in terra coeloque coorta est (cf. 1098—1102), quoquoversum facessit, et iure quidem, quandoquidem omnia rara sunt." Haec bene se habent, nisi quod fere non *facessit* morbida vis, *simulatque* coorta est, sed nimis diu manere assolet. Praeterea de *iure* vocabulo scrupulus residet, etsi similiter dictum videatur II 1139. Maiores vero offensiones habet Purmanni emendatio:

et tempesta*tes aethra* caeloque coor*tae*,
in caelum terrasque remotas *iura facessunt* etc.

Primum enim in *terra* voce nulla offensio erat, *aethra* autem a coelo non differt, deinde quo recto sensu *iura facessere* dixerit non perspicio. Equidem igitur, in relicuis Bernaysium secutus, v. 957 sic emendandum existimo:

in caelum terrasque remotas *virus facessit*.

Morbi *virus* similiter licebit dicere atque *olei virus* II 853.

Praeterea ipse hos versus suo cuique loco vindicabo: II 476, 423. III 393. IV 179, 795. V 410, 515—16, 693, 1343, sicut in alium locum, atque Lachmanno visum est, transferam IV 51—3, 195. V 175—6, 975.

Versus igitur II 474, 475 et 477:

> umor dulcis, ubi per terras crebrius idem
> percolatur, ut in foveam fluat ac mansuescat,
> aspera quo magis in terris haerescere possint

sese non ita excipere debebunt. Praeter enim quam quod inelegantissime haec duo enunciata *ut — mansuescat* et *quo magis — possint* a verbo *percolatur* suspenduntur, *umor dulcis* ubi percolatur nulla certe taetri viri primordia potest relinquere, neque uti mansuescat opus habet. Itaque Lachmanni via relicta non tamen Gifanium et Lambinum sequar. Nam etsi *dulcit* vel *dulcet* dixisse credendus sit fortasse qui *claret* (VI 937) *aegret* (III 824) formis usus est, vinculo opus erit quo haec cum superioribus iungantur. Mihi igitur sic videtur legendum:

> 473. est ratio secernendi seorsumque videndi,
> umor *salsus* ubi per terram crebrius idem
> percolatur, ut in foveam fluat ac mansuescat.
> 476. Linquit enim supera taetri primordia viri,
> aspera quo magis in terris haerescere *possunt*.

Versus eiusdem libri 923 offendit iam Lambinum, qui alium „in libro quodam repertum" substituit hunc:

> [per Veneris res extra homines armenta ferasque.]

Hunc commemorare Lachmannus suo iure supersedit, sed quem „ut inepte suppositum" Lambinus missum fecit, Lachmannus post v. 915, Bernaysius ante eundem collocavit:

> 923. sic itidem quae sentimus sentire necessest

is suo loco videtur servandus. Eorum enim sententiam refutaturus, qui sensum creari credant e principiis sensilibus, hisce utitur argumentis: 1) isti primordia quae debent solida esse mollia faciunt (902—7), 2) foret ut a mortalibus animalibus non differrent primordia (—918) 3) esto ut haec aeterna posint constare, attamen nil facient quod animal sensile non sit, sicut homines armenta feraeque nullam ex se rem aliam gignere possunt. Rectissime igitur iam sequitur v. 923 hoc sensu: „sic ea omnia, quaecumque sentimus, itidem sentire debent, quod contra manifestas res pugnat." Versus enim 924—26 pa-

lam faciunt, antea Lucretium non quaedam primordia loqui sensilia, dum alia insensilia relinquat, sed de omnibus omnino haec intellegenda esse v. 914: *linquitur ut totis animantibus adsimulentur* et quae secuntur. Primordiorum genera distinguit demum ridendi causa in eo argumento quod est 973—90.

In III v. 393 quae commemorantur

semina corporibus nostris inmixta per artus

qui possint alia cogitari atque ipsius animae, non percipio. „Materiai semina" per artus conciri (II 267) possunt, sed non possunt dici „corporibus nostris inmixta", uti anima (cf. v. 283, 376, 398, 707—10. IV 888). Itaque verum versuum ordinem Marullus perturbavit quam restituit potius. Quae in libris sunt equidem simpliciter sic interpretor: „usque adeo in nobis multa corporis primordia cienda sunt prius quam illorum concussum sentiant animai semina, corporibus nostris immixta per artus."

De versu IV 179 supra dictum est (n. 5); is autem qui est eiusdem libri 795, quem Bernaysius suo loco redditum uncis inclusit, dum recte explicetur optimus est paullum Lachmanno duce adiuvatus. Equidem igitur haec:

794. ⏑— quia tempore in uno
quod sentimus, id est cum vox emittitur una,
tempora multa latent etc.

ita interpretor, ut *tempore in uno quod sentimus* idem esse dicam atque *sensibili quovis tempore in uno*, quod habet v. 775: *id* autem *est* illud temporis momentum *cum vox emittitur una.*

Nec magis assequor, cur versuum V 409—10 ordinem immutare debeamus, cum quae est unice vera sententia stet, nullo omnino apice mutato:

inde cadunt vires aliqua ratione revictae,
aut pereunt res exustae torrentibus auris.

Tantum enim abest, ut Epicurus neget, ita ignem aliquando superare posse ut hunc mundum perdat, ut pro ipso mundi mortalitatis argumento hoc denique afferat (a versu 380), quod inter mundi partes, ignes maxime et aquas, *adhuc* quidem aequo certamine gestum sit bellum. Sed v. 382 quaerit:

Nonne vides aliquam longi certaminis ollis
posse dari finem, vel cum sol et vapor eius
omnibus epotis umoribus exsuperarint ?
385. quod facere intendunt neque adhuc conata *patrantur*.

in quo tamen postremo versu necessario scribendum est *patrarunt*, ita ut *conata* sit primus casus; nam neque praesenti tempori locus est, neque coeunt haec: *quod intendunt* (sol et vapor eius), *neque conata patrantur*.

Nec magis atque illic rem ipsam Lachmannus et qui eum secutus est Bernaysius perceperunt in V 513—16, qui versus ordine religiose servato sic legendi sunt:

513. inde alium supra fluere atque intendere *eodem*,
quo volvenda micant *alterni* sidera mundi,
aut alium supter contra qui subvehat orbem,
ut fluvios versare rotas atque austra videmus.

Nec impune poterat Lachmannus v. 514 horum omnium ultimum statuere, *eodem* in *deorsum* et *aut* in *hinc* mutare, quibus mutationibus se rem atque imaginem non perspexisse demonstrat. Lucretius autem coeli orbem, si vertitur, comparat cum rota molari. Sicut haec ab axe suspenditur, ita illum ex utroque polo aër premit extraque tenet; deinde sicut illam, ubi iam movenda erit, aut supra rivus influit eodemque intendit quo illa volvenda est, aut subter ita tamen ut contra subvehat, prorsus eodem modo ad volvendum orbem unus aëris fluvius satis est, sive supra fluit eodemque tendit quo sidera mundi i. e. Occidentum versus, sive subter contra fertur ad Orientem versus. Hoc autem modo fieri ut sidera volvantur, quis est qui a poeta id iterum moneri velit tam paucis versibus interiectis 509—16? — Rectissime porro Faber animadvertisse videtur, contra Epicuri rationem pugnare, mundum appellari aeternum (vide v. 96). Nam philosophum hic oblitum, ornandi gratia Lucretium hoc epitheton admisisse non credo. Itaque leniter ille fecit *alterni*. „Ita enim vocat mundum seu coelum, quod alternis dierum noctiumque vicibus modo sol modo stellae prodeant.“

Vix lenius iudicandum erit de versibus V 691—93, de

quibus una dicam cum vv. 689—90. Hos igitur Lachmannus sic procedere iubet:

> nam medio cursu flatus aquilonis et austri
> distinet, aequato caelum discrimine *metans*.

Sed primum vix intellego, quomodo sol distinere possit flatus Aquilonis et Austri, neque, si posset, cur hic Lucretius id addiderit, cum nihil explicandum sit, nisi aequinoctium qua de causa fiat. Hoc autem non semel fit per annum in solis cursu medio (qui quis sit, si totum, ut par est, obliquum orbem spectamus, ne dici quidem potest), sed bis fit, cum inter flatus Aquilonis et Austri medius eum circulum diei cursu sol circumscribit, quem aequatorem appellamus. Porro in v. 690 si idem esset atque in 692 subiectum, cur hic id repetatur *sol in quo* etc. causa non apparet. Denique aptissime coelum sive coeli illa regio inter Aquilonis et Austri flatus media aequali discrimine distinere dicetur *metas* i. e. et solstitiales (617) et brumales, quas tangit sol in circulis cancri et capricorni, cum ab aequinoctio quam maxime remotus est. Itaque ex his omnibus elucebit, non tam critico quam interprete opus fuisse in his Lucretii verbis:

> 689. nam medio cursu flatus aquilonis et austri
> distinet aequato caelum discrimine *metas*,

Quos versus qui statim secuntur 691—3:

> 691. propter signiferi posituram totius orbis,
> annua sol in quo concludit tempora serpens,
> obliquo terras et caelum lumine lustrans.

eos iterum Lachmannus immerito ita vexavit, ut v. 693 reliquis duobus sic interponeret: — *orbis Obliqui, terras et caelum lumine lustrans Annua* etc. Primum autem cur minus ineleganter, si hac in re offensio sit, quam nullam esse Bernaysius recte sensit in v. 524, alterum participium quod est *serpens* alterum sequatur quam ei antecedat, non video; deinde quoniam de annuo solis cursu sermo fit, verissimum est *obliquo lumine* coelum ac terras eum lustrare (ac ne quotidianum quidem Lucretius, nisi forte Syenam ultra profectus erat, aliter atque obliquum viderat); denique nec tam incondite

poetam haec cumulasse credo: „signiferi totius orbis obliqui“, in promptu cum esset *obliquam posituram* dicere, neque tam parum simpliciter tamque a suo substantivo remotum collocasse relativum.

Postremus ex hoc genere erit versus V 1343, quem sic emendatum suo loco vindicare quam cum Lachmanno transferre maluerim:

(1341). sic fuit ut facerent, sed vix adducor, ut ante
non quierint animo praesentire atque videre,
quam commune malum *foret id* foedumque futurum.

In codd. est *fieret*; Lachmannus postremum versum medium fecit.

Hos habui quos a Lachmanno transpositos suo cuique loco rursus vindicarem; praeterea pauci sunt versus quos alio transferam atque Lachmanno visum est IV 51—3, 195. V 175—6, 975.

In libro igitur IV versus 45—8=III 31—4 merito Lachmanus exclusit, quippe qui comparandi causa adscripti videantur versibus 26—8, quibus similiter atque illis secundi breviter compredendit tertii libri argumentum. Huc autem eos referendos esse et recte cognovit Marullus et indicant qui inepte infra annexi repetuntur vv. 49—50=29 et 30. Sed his finibus huius loci depravationem non constitisse, mihi persuadet versuum 51—3 conditio. Primum enim hunc versum: *quae quasi membranae vel cortex nominitandast*, qui dimidiam partem idem est atque v. 31, non coire puto cum iis quae praecedunt: *dico igitur rerum effigies tenuisque figuras Mitti* etc. neque similis constructionis exemplum novi; deinde v. 44: *id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde* (cf. V 882) male seiungi iudico ab eorum sententia (42—3) quo certo referendus est, neque illi ipsi versus 45—8 iam apte quadrant huc, ubi summa sententia breviter proponenda erat. Itaque cum Nonius p. 199 singulari numero *quae quasi membrana* etc. habeat, circumspiciens quo hunc referam, aptissimum locum invenio post v. 64:

> Quae quoniam fiunt, tenuis quoque debet imago
> ab rebus mitti, summo de corpore rerum.

quibus versus 51—3 sic subiungi volo:

> quae quasi membra*na est* vel cortex nominitanda,
> quod speciem ac formam similem gerit eius imago,
> cuius cumque cluet de corpore fusa vagari.

Versus IV 195 ab eo loco quem numerus significat aeque abhorret atque ab illo ubi a Lachmanno positus est. Cum enim de celeri motu dictus sit (cf. 745), quem ipsum ut de simulacris ostendat poeta agit, non poterat ita ut Lachmannus voluit *προαρπάζειν τὸ ζητούμενον.* Itaque Marullus verum vidisse dicendus est, nisi quod v. 203 cum Bernaysio post 188 collocandus erat, et eorum qui statim secuntur ordo talis debebat constitui post 195: 205, 204, 206. *Emiss*us enim non est nisi eorum, ex alto quae penitusque mittuntur (694), et in v. 206 suum subiectum *debere* infinitivo vereor ut deesse possit, nisi proximi sibi sint 204 et 206:

> quid, quae sunt igitur iam prima fronte parata,
> quone vides citius debere et longius ire?

Versus V 175 et 176 quoniam sana ratione referri nequeunt ad homines nondum natos, versum 174 illis postponi iussit Lambinus, contra quem Lachmannus primum *an credo* latinum non esse monet, tum vero hoc modo manere dicit neque refutari id quod his duobus versibus contineatur. Sed hac quidem in re fallitur; nam optime haec procedunt: „Quidve novi tanto post illicere poterat deos ut vitam mutare cuperent? (nihil sane). Nam novis rebus studet cui veteres obsunt, cui bene est (ut diis) non studet. *An* (familari quaerit cum ironia cf. VI 397, 402 etc.) in tenebris ac maerore vita eis iacebat, donec res crearentur?“ Eodemque modo pergit: „Quidve mali fuerat nobis non esse creatis? (nil sane) natus enim etc.“ Itaque Lambini ratio adeo magis placet quam Lachmanni, nisi quod *an credo* non retinendum est. Nec tamen vitium inesse puto in *an* particula, sed in *credo* verbo; nam qui *at*, *credo*, etc. dictione utitur gravius Memmio suo irridet. Quare haud

scio an Bergkio assentiendum sit, *an caeca in tenebris vita ac merore iacebat* conicienti.

De versu V 975 supra dictum iam est. — Postremo huic capiti eo denique finem impositurus sum, ut dicam de illis versibus, quos equidem e loco suo movendos esse iudico: II 453, IV 783, V 312.

In v. igitur II 454 *glomeramina* num appellari possint singula quaeque papaveris grana valde dubito. Non enim quodvis globosum, sed id quod glomeratum est, si analogiam spectamus, glomeramen dici liceat. Itaque et alii et ipse Lucretius (686. VI 726) hoc vocabulo usus est. Apte vero ita appellabuntur liquoris globosa corpuscula. Rectissime igitur cum inter v. 452 et 454 male interponi 453 iudicasset Lambinus, non tamen eiciendus erat, sed post emendationem videtur transponendus esse. Sicut enim quod versibus 451—2 argumento sit contineri existimo v. 454, ita vv. 453 et 455 sic coire puto:

namque papaveris haustus itemst facilis quasi aquarum
et perculsus item proclive volubilis exstat.

Etenim aptissime cum liquore, quem e levibus atque rotundis corporibus constare dicit, comparatur papaveris acervus, quem e talibus esse nemo negabit, et *perculsus* nunc bene intellegitur. Eadem similitudine usus est in III 189 et 196.

Ut ad IV 783 transeam, de eo versu quem huic Lachmannus antecedere voluit supra iam dixi (p. 40). Deinde ut Bernaysio non assentiar v. 783 sic emendanti:

si mare, si terr*a in* cor*dest*, si denique caelum

cum in libris sit: *terram cordist*, inde fit quod vehementer vereor, ut *in corde* nobis esse possint terra, mare, coelum; Lucretio certe haec cordi sunt cf. V 1391, et sensus hic esse debet: si cogitare volumus. Itaque huius coniecturae specie non magis decipior quam Lachmanni rationem probo, cui tamquam Deo omnipotenti quodcumque cogitat est, cum vox emittitur una, sive mare sive terram sive coelum voluerit. Sed optime se habebunt omnia, si legeris v. 783 statim post 780:

779. quaeritur inprimis quare, puod cuique libido
venerit, extemplo mens cogitet eius id ipsum,;
783. si mare, si terram cordist, si denique caelum.

Versus V 312 sic scriptus in libris:

quaerere proporro sibi cumque senescere credas

uti manifesto corruptus est, ita sententiarum ordinem perturbat. Parum recte Lachmannus sic divinavit:

quae fore proporro *vetitumque* senescere credas

quali sententiae pro certo c r e d e r e s debebatur. Itaque et Bernaysius et Rergkius aliam viam ingressus est. Ille postquam rectissime eruit me judice e q u a e r e r e verbo q u a r e, totum versum abicere quam emendationem perficere maluit; hic hanc versus speciem exhibet:

vergere proporro *silicumque* senescere *quadras.*

Sed „monimenta virum iam dilapsa" quo sensu „vergere proporro" dicantur non capio, nec silicum mentionem hic iterum factam esse credo, neque quadras novit Lucretius. Equidem igitur cum arctissime vv. 311 et 313 inter se coniugatos esse cum Bernaysio sentiam, ita ut *ruere* verbum etiam ad *dilapsa* referendum sit, versum 312 sic leniter emendatum:

quare rem porro sibi *quamque* senescere credas

transfero post v. 317, ut neque orationem interrumpat et apte hoc argumentum concludat, similiter ac paullo ante versus 305 *inviolabilia haec ne credas forte vigere.* — Similem dativum habes infra v. 1186 et III 197. —

Postquam igitur de lacunis, male iteratis, totis versibus sive spuriis sive transpositis supra iam egi, eo denique haec disputatio perducta est, ut cap. IV ad illa transferatur, quae *singulis in vocibus* minus recte a Lachmanno, vel ab iis qui postea de eisdem aliter senserunt, constituta esse videantur. Eorum autem copia cum paullo maior subnata sit, ne haec disputatio iustos fines excedat, in aliam occasionem illa reservare placuit.

Index locorum

qui aut emendantur aut explicantur.

VITA.

Natus sum Petrus Eduardus Goebel Hilleshemiae, oppidulo Eifliano, anno huius saeculi XXXI e patre Antonio, matre Guilelmina, e gente Neukirch oriunda. Quorum haec cum mihi puero quinque annorum tristissima morte erepta esset, quattuor annis post etiam optimo patre orbum me lugebam. Huius vices, quantum fieri potest, lubentissimo animo in se suscepit et alter tamquam pater mihi exstitit Iosephus patruus Attendoriensis, qui una cum Caspare Gertman tutorem se praestitit sollertissimum. Praeter illum autem pietate mihi maxime semper colendus erit Laurentius avunculus, qui me non aliter ac filium apud se olim habebat. Litterarum elementis imbutus a decimo aetatis anno progymnasium quod Wiedmanno rectore Attendoriae floret frequentavi, deinde unum per annum Monasteriensis, per triennium Coloniensis gymnasii alterius, quod est catholicum, discipulus fui. Hinc maturitatis testimonio munitus auctumno anni MDCCCL ad hanc litterarum universitatem me contuli, studiis philologicis potissimum operam navaturus. Per quadriennium igitur praeceptoribus usus sum viris clarissimis hisce: Arndt, Aschbach, Bernays, Brandis, v. Calker, Delius, Enger, Heimsoeth, Knoodt, Loebell, Monnard, Overbeck, Ritschl, Schmidt, Schopen, Simrock, Walter, Welcker. Quibus omnibus gratum animum et habeo et hic publice testor. Praecipue vero gratias debeo Welckero ac Ritschelio, duumviris doctissimis humanissimis, quippe qui non solum scholis suis longe utilissimis me instituerint, sed etiam in seminarium philologicum benevoli me receperint, cuius exercitationibns saluberrimis per hoc biennium socius ordinarius interfui. Denique nominatim commemorandus est mihi vir rarae benevolentiae et comitatis Petrus Knoodt, nec non Leop. Schmidtius v. Cl., qui cum nuper per unum semestre Welckeri vicarius fuerit in moderando seminario, tum alio me nomine sibi obstrinxit.

SENTENTIAE.

I. *Etiam ad intellectum plurimum interest, ut animi mores corrigamus.*

II. *Guentheri dualismum et verum esse existimo et minime iis impugnandum, qui fidem catholicam confitentur.*

III. *Epicurei tantum abest ut in ethica nihil nisi vituperationem meruerint, ut valde laudandi sint propterea, quod sicut vix alius antiquitatis philosophus menti liberam voluntatem vindicaverunt.*

IV. *Male norunt Ajacis Sophoclei mores totiusque fabulae indolem, qui versibus 646—92 splendidissimis fraudem ullam aut fictionem inesse sentiunt.*

V. *In lingua latina sicuti declinationibus quae perhibentur V una pro communi radice subesse dicenda est, ita* s e x t a *non rationi solum concedenda, sed re vera agnoscenda et constituenda est.*

VI. *Rationi repugnant, quae apud Platonem in Polit. p. 285 A. sic leguntur:* καὶ τοὐναντίον αὖ τούτου δρῶσιν, ἕτερα ο ὐ κατὰ μέρη διαιροῦντες.

VII. *Apud eundem in Symp. p. 178 B. ipsius Hesiodi verba Hermannus non merito exclusit.*

VIII. *In Promethei Aeschylei versibus 216—7 emendandis:*

ὡς οὐ κατ' ἰσχὺν οὐδὲ πρὸς τὸ καρτερὸν
χρείη, δόλῳ δέ, τοὺς ὑ π ε ρ έ χ ο ν τ α ς κρατεῖν

nec iure Hartungius ab Hermanno recepit ὑ π ε ρ τ έ ρ ο υ ς, *neque vero sententiam recte interpretatus est.*

IX. *Versus Sophoclis in Oed. Col. 495—6 sic corrigendi videntur:*

ἐμοὶ μὲν οὐχ ὁδωτ'. ἐ λ ε ι π ό μ η ν γὰρ ἂ ν
τῷ μὴ δύνασθαι μηδ' ὁρᾶν, δυοῖν κακοῖν.

X. *Eiusdem fabulae versum 590 sic emendo:*

ἀλλ' ο ὐ θελόντων, οὐδὲ σοὶ φεύγειν καλόν.

XI. *Apud Thucyd. I, 3 in hisce verbis:* πολλῷ γὰρ ὕστερον ἔτι καὶ τῶν Τρωϊκῶν γενόμενος αὐδαμ ο ῦ τ ο ὺ ς ξ ύ μπαντας ὠνόμασεν, οὐδ' ἄλλους ἢ κ. τ. λ. *pro* τοὺς *legendum puto* ο ὕ τ ω ς.

XII. *Apud Livium II 50 init. sic lego: nec erant incursiones modo in agros aut subiti impetus* i n *incursantes, sed etc.*